Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-312045-p0001-3

Gij. 22.

Gij. 22.

MEMORIA NEGRIANA

HOC EST

SALOMONIS NEGRI

DAMASCENI

VITA

OLIM AB IPSOMET CONSCRIPTA

NVNC AVTEM

ACCESSIONIBVS QVIBVSDAM

ILLVSTRATA.

NEC NON

EIVSDEM

TRACTATIO CRITICA

QVA SVVM APERIT

ET

DE GVILIELMI SEAMAN, ANGLI,

VERSIONE N. TEST. TVRCICA

IVDICIVM

ET

DE ADORNANDA NOVA VERSIONE

EORVMDEM DIVINORVM LIBRORVM TVRCICA

CONSILIVM.

EX AVTOGRAPHO AVCTORIS

EDIDIT

GOTTLIEB ANASTASIVS FREYLINGHAVSEN

S. THEOL. P. P.

HALAE SALICAE

IMPENSIS ORPHANOTROPHEI

CIↃIↃCCLXIIII.

MEMORIA NEGLECTA

HOC EST

SALOMONIS NEGRI

DAMASCENI

VITA

OLIM AB HISPANE CONSCRIPTA

AC NUNC PRIMUM

EX CODICE MANUSCRIPTO

TYSDENI

TRADITA ET CRITICA

ET

DE SCRIPTIONE SERVATA, ANTEA

VULGATIONE ET CRITICA

PRO TENUITATE NOVA VERSIONE

CORRECTIONE ET NOTARUM COPIOSA TURBA

AUCTA.

ET AUTORE DARIO LYCOSTHENE

RHEDIGERANO

GOTTLIEB. CHRISTIANUS KESTNERUS

LIPSIAE

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-312045-p0004-0

VIRO
SVMME VENERABILI
EXCELLENTISSIMO DOCTISSIMOQVE

D. CHRISTIANO BENEDICTO MICHAELIS

S. S. THEOLOGIAE ET LINGVARVM GRAECAE
ET ORIENTALIVM PROFESSORI PVBL. ORD.

SOCIETATIS SCIENTIAR. REG. BEROL. SODALI

ACADEMIAE FRIDERICIANAE SENIORI

MENSARVM TAM REGIARVM QVAM PROVINCIAL.

HALBERST. EPHORO

ET BIBLIOTHECAE ACAD. PRAEFECTO

LVSTRVM DECIMVM

IN MVNERE ORDINARII PROFESSORIS

M. FEBR. MDCCLXIV.
FELICITER EXPLENTI

GRATVLABVNDVS OFFERT

G. A. FREYLINGHAVSEN.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-312045-p0005-5

VIRO
SVMME VENERABILIS
ATQVE
EXCELLENTISSIME,
FAVTOR AC PRAECEPTOR
SINGVLARI OFFICIO SVSPICIENDE,

SALOMONIS NEGRI λείψανα, quae me adcurante in publicum prodeunt, cui potius quam TIBI, VIR SVMME VENERANDE, inscriberem, cuiusue sinu hoc quidquid est litterarii muneris crederem lubentius rectiusque susceptum iri, quam TVO? Inter omnes enim, quos *Damascenus ille* in Fridericiana nostra auditores habuit, TV quidem et pro temporis ratione primo loco nominandus es, et propter ampliorem quam ipso duce adsequutus es doctrinam facile primas tenes.

Annus iam nunc agitur *alter supra sexagesimum*, cum praeter communem cum aliis commilitonibus institutionem, priuatiori insuper quotidie Viri doctissimi vterere, et quidquid ad interiorem et reconditam litteraturae Arabicae peritiam pertineret, pleniore velut hausta ex eiusdem fonte combiberes. Non poenituit iam tum aequales quosdam TVOS ducem TE his ipsis in litteris doctoremque delegisse; post aliquot annos autem, quam egregium TVI specimen dissertatione doctissima *de Arabicae linguae Historia* edidisti! Itaque factum est, cum inde ab eo tempore, Magisterii philosophici honores nactus, continuato per longam annorum seriem studio orientales et in his Arabicas litteras profiterere, vt et TE ipsum existimatoribus doctis, et vero magistrum simul cui numquam infitiatus es TE plurimum debere, commendares, isque adeo per TE plurimos, et in his praestantes ingenio doctrinaque nanciscerentur veluti nepotes; si liceat, Ebraeorum in morem, nomen filiorum tribuere doctorum hominum discipulis, quales qui *prophetarum filii* in sacris audiunt intelligendi nimirum sunt.

Itaque

Itaque TV, SENEX OPTIME, canis aeque ac meritis VENERABILIS, consilium *Negrianas* illas *scriptiones*, ex autographo a TE agnito et relecto vulgandi, adeo non improbabas, vt rem fore haud paucis philologorum gratam, si publici iuris fierent, iudicares.

Ego vero, VIR SVMME VENERABILIS, lubens merito hanc ipsam amplector opportunitatem, statuendi aliquod tenue licet monumentum, mei in TE quod pridem maximum esse intelligo officii, et quantum TIBI debeam publice hoc tempore profitendi.

Possem hic ad pueritiae memoriam regredi vltimam, favoremque laudare, quem aetatulae isti facile vetus conciliabat amicitia a TE cum B. Parente nostro culta; nec me fugit (si haec forte longius petita et omnino premenda silentio aliis videantur,) TIBI pro insigni humanitate TVA interdum (quin nuper adhuc) volupe fuisse, repetere et ad amicos commemorare nonnulla ex eo tempore quo TVVM inter IOANNEM DAVIDEM (FILIVM dico TIBI multo carissimum, lumen Gottingensis Academiae, Fautorem honoris caussa nominandum) et me vsus fere quotidianus et quaedam tirocinii litterarum intra paternos parietes societas intercesit.

Sed vt illa missa faciam, memini praeclare, cum essem academicae vitae stadium ingressus, adeo me TVAE capi doctrinae praestantia, vt postquam in primordio statim illius curriculi ad TE me vel in primis applicuissem, faciendum putarem, vti quoad liceret plures per annos lateri TVO adhaererem, traductus a TE cum ad intelligendas codicis diuini tabulas vtriusque instrumenti, tum praesertim ad pleniorem quamdam ebraici sermonis facultatem, aliasque, quibus haec mirifice iuuatur, orientalis litteraturae partes.

Faciebas praeterea (gratus et cum voluptate memini) TVI quoties vellem priuatim conueniendi copiam, solebasque, cum oblata ego vterer opportunitate, multa saepe de his litteris solus cum solo agere, et quidquid desiderarem lucis candide liberaliterque impertiri. Neque vero postea cum propius ipsis muneris rationibus essem coniunctus, a TE discessisti, sed sub-

inde potius TVI in me animi, TVAE beneuolentiae documenta haud obſcura exſtare voluiſti.

Qui poſsem ergo, in publica laetitia meum in ſinu quaſi continere ſingulare gaudium, et hoc quod TIBI quaſi ſacrum feſtumque eſt tempus, quandoquidem his ipſis diebus dimidium muneris TVI ſeculum exples, ſine aliqua teſtificatione officii tacitus transmittere?

Iure TIBI, raro exemplo et apud nos primo, annum hunc qui Iubilaeus TIBI eſt Fridericiana gratulatur, de TEque, ſpectatiſsimo SENATVS SVI vniuerſi SENIORE tot per annos, tam egregie, tot nominibus meritiſsimo ipſa ſibi gratulatur.

Applaudunt publicis ſolennibus boni omnes, quos inter cum et meum ego profitear nomen, nihil magis in votis habeo, quam vt omnia diuinae indulgentiae documenta, inter quae aetas TVA eo quo peruenit, prouecta eſt, laeta grataque memoria diu adhuc in terris recolere queas. Itaque qui TIBI adhuc ſatis vegetas vires in ſenectute concesſit Deus O. M. illam etiam quam nuper TE inuaſiſſe dolemus valetudinem leuet, ex eaque TE recreet! Ceterum, cum mortale non ſit quod optas, nec noſtra adeo vota debeant intra haec caduca et peritura conſiſtere; ad aeterna et perfectiora iubila TE, cum viſum ſibi fuerit, Deus transferat, longeque ſupra noſtra vel vota, vel gaudia euectum beatiſsima donet immortalitate! Vale faveque

V I R

SVMME VENERABILIS, EXCELLENTISSIME
DOCTISSIMEQVE,
PATRONE AC PRAECEPTOR
PIETATE SINGVLARI COLENDE,
NOMINIS TVI

Halae in reg. Frider.
Id. Febr.
MDCCLXIV.

cultori obſeruantiſsimo,
G. A. FREYLINGHAVSEN.

LECTORI BENEVOLO

S. D.

EDITOR.

Praestantium virorum et de publico litterariae sanctiorisue ciuitatis bono meritorum, operae pretium est conseruare memoriam; de qua ad posteros transmittenda curam suscipi, tum vel in primis aequum minusque superuacaneum videri queat, si non adeo in propatulo illorum versatus labor, neque fama nominis eorum longius iam sit latiusque peruagata. Itaque nos etiam videba-

debamur, quod non alienum esset, quodque reprehensione facile careret facturi, si non nihil studii ad renouandam ornandamque memoriam conferremus optimi Viri, praestabilique doctrina exculti, SALOMONIS NEGRI, Damascени. *Is quidem, vt alia taceamus, in ipsa hac Academia nostra bis separatis, trium fere lustrorum interuallo temporibus, ad orientalis litteraturae ac praesertim vtilissimae Arabum linguae scientiam dux princepsque fuit flori iuuenum studia aemulantium, cuius etiam ex schola quidam prodierunt doctissimi clarissimique Viri, et eximie deinceps non vna ratione cum hic tum alibi his de sacris meriti.*

Fuit autem Ille, *cuius memoriam edendo monumento duplici prodere statuimus,* SAL. NEGRI, *vt Syrus patria, (Damasco quippe parentibus oriundus honestis, sed de quibus nil praeterea inter nos constat): ita quantum ad religionem attinet Christianorum graecorum formulae a puero addictus, in eaque retinenda constans, etsi inter Pontificios saepe multumque versatus atque ab his ad amplectenda Romanae ecclesiae instituta varie identidem sollicitatus.*

Postquam in ipso aetatis flore patriam reliquisset Damascenus, *primum in Gallia non exiguum tempus transegit, postea in Angliam et hinc in Batauiam Germaniamque commigrauit. E Germania post anni vnius moram delatus contra quam propositum fuerat, ad Venetos, haud ita multo post legato Venetorum interpres adiunctus, Constantinopolin in comitatu illius peruenit. Tandem redux ex Oriente, in Italiam primo, deinceps in Angliam iterum, indidemque ad nos secundum peruenit, donec felicem illam insulam tertium repeteret, Angliam, in qua etiam cum extremum vitae tempus non ille quidem otiosus degisset, annis abhinc amplius* XXX *aetatis finiit cursum.*

Praecipuas vitae suae vices conuersionesque breui Ipse *complexus est narratione, cuius Autographon Bibliotheca seruat Orphano-*

phanotrophei Glauchenſis, ex quo ipſo Biographiam viri, poſtquam haud ita pridem in manus noſtras incidit, deſcribendam publicique iuris faciendam duximus, ita quidem, vt cum ſtrictim pleraque Noſter *de ſe rebusque ſuis perſcripſerit tetigeritque, nos ſimul quae ad certos qnaſi actus vitae* Illius, *ac momenta hiſtorica haec vel illa illuſtranda facere viderentur, quantum ex monumentis illius memoriae indagando nunc quidem poſſemus conſequi adſpergeremus.*

Ceterum non eſt nobis quidem dubium, quin is libellus et item alter ille quem ſimul damus et de quo mox plura dicentur, ab ipſa Damaſceni *manu ſit.* (*) *Suspicantibus quippe nobis, idoneus rei teſtis auctorque ita omnino eſſe confirmauit* SVMME VEN. D. MICHAELIS, *qui manus* Salomonis *quo duce et magiſtro aſſidue quondam fuerat vſus, et tum ſatis gnarus fuit, et adhuc probe memor eſt.*

Laudes virtutesque litteratiſſimi illius peregrini, bonaque etiam nunc exiſtimatione apud optimos quosdam viros aetate proiectos florentis, non conſtitutum nobis eſt hoc loco perſequi earumque quaſi praeconium ſuscipere; non deſunt tamen, ſi quis requirat, clarorum grauiſſimorumque virorum auctoritates litterisque mandata teſtimonia, quae disiunctis edita interuallis et temporum et locorum, in hoc conſpirant et ſimilitudine coniuncta ſunt, vt non niſi honorificam Ipſius *mentionem faciant, quem propius noſcendi inſpiciendique ipſis haud defuit occaſio. Horum aliqua infra licebit nominatim excitare.*

Fuit, ne hic nihil omnino dixiſſe videamur, in Salomone Negri *humanitate condita grauitas, in eiusque virtutibus commemora-*

(*) Vterque eodem volumine continetur, *vnoque* et *eodem* tempore ſcriptus videtur. Ex eo quod in *vitae* ſuae *narratione* (p. 4.) refert, *in Angliam* ſe *ante biennium fere* rediiſſe iterum, relicta Italia, colligimus a. MDCCXVII iſta conſignata litteris eſſe, quandoquidem conſtat illum ad Anglos reditum in annum MDCCXV incidere.

moratur, non magis promtum paratumque ad iuuanda aliorum ſtudia ipſum fuisſe, quam cum dexteritate cultaque egregie facultate, tum etiam in obeundis quas ſuscepisſet partibns fide atque conſtantia commendabilem, prudentem praeterea in omni conſuetudine et egregie cordatum. Ac ſane augeri mirifice iſta laus prudentiae et moderationis potuit in eo viro, qui tam multorum homi-num mores vidisſet et vrbes, *esſetque in cultisſimis Europae partibus cum ſapientibus principibusque viris ſaepe multumque verſatus; praeſertim cum haud dubie ſagacioris ingenii, promtique et ad arripiendum et ad iudicandum dotibus natura ipſa praeditus fuerit. Ipſa haec iam ſe in adoleſcente prodens emicansque liberalior indoles, Patres S. I. Damaſci commorantes permouisſe videtur, vt traditum diſciplinae ſuae eaque excultum per aliquod tempus iuuenem in Galliam e patria mitterent, eo haud dubie conſilio et hac ſpe, vt perpolitum Europaea diſciplina, omnique litterarum inſtrumento ornatum, eo felicius in ſuis ipſorum apud Orientales inſtitutis adhibere aliquando posſent; id quod ſecus euenit.*

Porro tam praeclaro ingenio cum esſet ad illudque accederet aſſidua lectio, ſtudium, exercitatio, vſus etiam plurimus et inſignium apud Gallos praeſertim, Italos, Anglos, bibliothecarum, et hominum doctisſimorum, non eſt dubitandum, quin egregios in litteratura varia fecerit progreſſus, vt de eo nihil dicamus genere, in quo omnium conſentiens vox Roſcium eundem *fuisſe perhibet, hoc eſt Orientis litteris, Syrorum, Arabum, Perſarum, Turcorumque linguis, quarum et vaſtisſimum ambitum complexus tenuit, et vim natiuam, qua mirifice differunt ſingulae, rationemque cuiusuis propriam ſubtiliter diiudicare nouerat eleganterque et perſpicue explicare.*

Reſtat vt de altero *quem hic ſimul in publicum prodire iubemus* libello *aliquid dicamus. Eſt ille eodem, quo* Vita, *tempore a* SALOMONE NEGRI, *conſcriptus manuque itidem ipſius propria conſignatus; ceterum epiſtolae modum et formam praeferens, da-*

tae

tae quemadmodum principium ac finem luſtrantibus occurrit, ad Viros *quosdam* praeſtantisſimos. *Enimuero hi qui ſint, non reperimus quidem adſcriptum aut alicubi notatum; ceterum vero ſimile eſt, cum in Anglia exarata ſit ſcriptio,* Societatem *intelligi, quae a propoſito* Chriſti cognitionem promouendi *nomen habet; quacum* Ille *ſupremo quod inter Anglos transegit vitae tempore fuit coniunctisſimus.* (*)

Occaſionem haec cogitata ſua litteris mandandi, ex ipſomet libello colligere licet, SALOMONI *fuiſſe hanc, quod prouocatus eſſet ad adornandam N. T. verſionem Turcicam, vel eam ſaltem quae apud Anglos iam pridem prodierat a variis mendis repurgandam.*

Et iſta quidem Turcica librorum Noui Foederis verſio *Oxoniae ante hos prope C annos in 4. typis deſcripta hoc titulo exſtat:* Domini noſtri Ieſu Chriſti Teſtamentum Nouum. Turcice redditum. Opera GU. SEAMAN Oxoniae excud. H. Hall Acad. typographus 1666. *Idem ille diligentisſimus* SEAMAN *aliquot poſt editum N. T. annis,* Grammaticam Turcicam in quinque diſtributam partes *luce donavit, quae itidem* Oxoniae, *eadem qua N. T. forma, prodiit a. 1670. Quo poſteriori ex opere didicimus, inclutum illum ſummoque de religione bene merendi ſtudio, non minus quam doctrina pridem nobilitatum D.* ROBERTVM BOYLE *Armigerum, vel in primis et auctorem hortatoremque* SEAMANO *ad hos labores, et vero etiam munificentisſimum eorumdem adiutorem promotoremque fuiſſe.* (**)

Quod

(*) Confer. quae infra commemoramus ad *Vitam Damaſceni* n. V. p. 14. 15.

(**) Inſcripſit *Grammaticam* ſuam ROBERTO BOYLE, ſummo Viro, GVIL. SEAMAN, cuius in epiſtola operi praefixa haec habentur inter alia: — — „*Quartus agitur annus, ex quo Te inprimis atque aliis Clariſſimis viris hortantibus „ verſionem N. T. in eadem (Turcica) lingua adornaui; quam absque Tuo ſubſidio „ et ſuppetiis a* — CYRILLO WYCHE, „ *Equite aurato, praeſtitis, luce donandi „ facultas plane defuiſſet.*„ Refert ibidem, humanitati et munificentiae BOYLII vel in primis *Grammaticarum inſtitutionum*, de quibus ſupra, editionem deberi, aliaque eodem quo haec, luci expoſita conſilio.

PRAEFATIO.

Quod igitur ad SALOMONIS NEGRI Meletema *attinet, id primo agit vir doctus, vt doceat quam arduum sit et plennm aleae opus, accurata N. T. metaphrasis Turcica. Hoc ille cum aliis ex rebus apparere tum in primis exinde satis manifestum esse docet, quod perfecta quaedam trium linguarum Arabicae, Persicae ac Turcicae peritia ad eiusmodi interpretationem omnino necessaria sit. Varia hic de Turcico idiomate admonet lectu non iniucunda, nec inutilia scitu futura; declarat vberius rem omnem ex Grammaticis illarum linguarum rationibus et indole versa* (*) *tum et specimine criseos in Angli illius versionem susceptae ad locum illustrem Io. I. 1. Varia deinde aperit consilia de praesidiis prospiciendis procurandisque antea, si noua versio adornanda sit, tum a quibus, quo loco. quibusque legibus* Ipsius *iudicio commodissime perfici queat talis, quae grata vsuique esse queat Turcis versio, quo pacto cum iisdem communicanda et id genus alia, quae hic referre longum foret, prudenter admonet.*

Tu, Lector Beneuole, his in Tuam rem vtere; atque id in primis nobiscum da operam, vt thesauro Euangelii diuinitus nobis concesso rite vtamur, gratosque illius vsu nos indulgentissimo probemus largitori. Nec vero desistamus eos, quibus illa caelestis lux nondum adfulsit, precibus votisque communi Domino, per Christum toti hominum generi reconciliato commendare, ac si vel innumeris maximisque impedimentis obsepta videatur illis subueniendi via, reputemus quod olim dictum ab Angelo legimus in domo Abrahami, constituti a Deo gentium patris היפלא מיהוה־דבר Num mirabile prae Iehoua quidquam? *h. e.* (COCCEIO *interprete*) *nihil est, Domini quod facultatem excedat. Gen. XVIII, 14. Vale.*

I. VITA

(*) Illum quasi syncretismum linguarum trium ostendere ipsi visum est specimines caussa in periocha celebris cuiusdam apud Turcos auctoris, quam eleganter suo more calamo descripsit. Calligraphiae ductus flexusque, formulis litterarum quibus typothetae vtuntur inimitabiles, chalcographus in aere suo quantum fieri potuit studuit referre. Vid. *Tab.* p. 21 adiectam.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-312045-p0014-5

I.

VITA SALOMONIS NEGRI

AB IPSOMET CONSCRIPTA.

SALOMON NEGRI Damasci Syriae in ecclesia Graeca natus est. Cum puer adhuc esset, a parentibus in disciplinam Iesuitarum fuit traditus: apud quos nonnihil de Graecis et Latinis, vt et de Italicis apud Monachos S. Francisci didicit litteris. Aetate paullo prouectior in Arabicis eorum nonnullos erudiuit.

Iesuitae ipsum ad scientias idoneum esse iudicantes, in Europam ac praesertim in Galliam itineris capessendi auctores fuerunt. Anno itaque aetatis suae XVIII. Hierosolymorum itinere prius confecto, inuitis fere parentibus, Parisios venit. Humanioribus litteris in collegio Claromontani dedit operam.

Conati sunt Iesuitae ipsum ad amplectendum suum institutum pellicere. At deprehensa mala ipsorum fide, vtpote qui multa illi

in patria ſpoponderant, nimirum fore, vt educaretur inter nobiles ſuos alumnos, et omnia ad votum haberet, quae minime praeſtiterunt, ipſe ſe infirmae valetudinis cauſſa expediuit e manibus eorum, et quidem non inimice. Per quatuor deinde annos Philoſophiae et Theologiae in Pariſienſi Academia et Sorbona ſtuduit, dum Bibliothecarii munere fungeretur apud nobilem Abbatem de Caummartin Miniſtri de Pontchartrain affinem. Poſtea coepit docere linguam Arabicam priuatim. Fuit et aliquamdiu ſtudiorum ſocius et a ſecretis Marchionis de Blainville, regis Miniſtri de Torci cognati.

Inita Riswicenſi pace, a primo regis bibliothecae cuſtode, Abbate de Louvois, promiſſum illi tempore belli in bibliotheca munus oblatum fuit; at ille qui id per quinque annos expectauerat, cum audiret tam exiguum aſſignari ſtipendium, (vtpote quingentae tantum erant librae) offenſus, recuſauit et in Angliam ſeſe recepit.

Londini in ſchola D. Pauli apud Doctorem Poſtethlueth per aliquod tempus nonnullos eiusdem loci alumnos inſtituit in lingua Arabica et Gallica. Interea ipſum inter et D. LVDOLFVM fato functum, Principis Georgii Dani olim a ſecretis, intercesſit neceſſitudo ac familiaritas. Hic ipſi, vt in Germaniam, Halam Saxonum praeſertim, veniret, ſuaſit.

Halae fere per annum degens, tractauit nonnulla in gratiam multorum ſtudioſorum in Arabicis. Aduerſa vero valetudine, inde inuitus (vtpote Chriſtiane ac perhumaniter exceptus fuerat) in Italiam eſt profectus.

Perluſtratis praecipuis regionis ciuitatibus, iter ſuum Conſtantinopolim per Hungariam inſtituit. Ardebat tum bellum in Tirolio: itaque milites vias infeſtantes, in quorum manus inciderat, eum Venetias gradum referre coegerunt.

Ibi Profeſſor quidam Patauinus (*ipſum*) in aliquorum nobilium induxit notitiam. Veneti diu ante, de conſtituenda in primaria vrbe ſchola Arabico-Turcica ad erudiendos futuros interpretes, decreuerant, Salomonem ad id muneris deligentes, et inter nobilem legati Ruzini familiam aſcitum miſerunt Conſtantinopolim, vt et perfectiorem linguae Turcicae notitiam acquireret, et libros ad conſilium facientes compararet. Poſtquam tres annos in ſtudio linguarum Turcicae et

Perſicae

Perſicae poſuiſſet, Venetis nihil de re eius augenda definientibus, discedendi facultatem petiit in Germaniam rediturus. Quo audito, legati, tum magnae Britanniae, eques Sutton, tum Galliae, marchio de Feraiol, quibus familiariter vſus erat, nihil non egerunt, vt ſortem ipſius demulcerent, et ab hoc conſilio auocarent; ille enim eum apud ſe in aula tamquam nobilem retinere ſecum, hic vero in Galliam amplisſima ſpe aliquid a miniſtris et rege obtinendi commendatum remittere voluit. Verum ipſe vitae et aulicorum ſtudiorum artiumque pertaeſus neutri praebuit aures. In Italiam autem nauigans longum et infauſtum expertus eſt iter, ita vt inopinato caſu Romam ſit deportatus.

Cardinalis Imperiali, cui Salomonis nomen cognitum erat ex ore cuiusdam Itali, qui Conſtantinopolim iuerat et tum eiusdem Nepotis Principis de Franca Villa praeerat inſtitutioni, ipſum Romae retinere voluit. Tum vt de congregatione propagandae (vt ipſi dicunt) fidei bene mereretur, in qua maxima, vti etiam apud Papam, valebat gratia; tum vt ipſius Nepos ab eo in lingua erudiretur Gallica. Coniunctis ad id cum Syluio Kavallieri, eiusdem congregationis a ſecretis, viribus, adhibitis viris literatis et Romanae prudentiae aſtutiis, nec non propoſitis magnis ſtipendiis, quae poſtea (vt eſt genium gentis ad fraudem et dolum natae) ne quidem media ex parte praeſtiterunt, cathedram Profeſſoris publici linguae Syriacae in Archigymnaſio ſapientiae Romanae, et Lectoris linguae Arabicae in collegio de propaganda fide pro eo impetrarunt a Papa. Ille vero penuria laborans, nulla ad perſequendum iter ſuperſtite pecunia, neceſſitate adactus illa duo munera, vsque dum vacaret tertium in bibliotheca Vaticana, inuitus accepit.

Tempori itaque cedens, ne omnino rebus eorum (quae non tam Chriſti quam Papae regni amplificandi gratia peragi ſolent) ſeſe immiſceret, ideam ſcribendi alicuius operis aduerſus religionem Mahometanam propoſuit. (*) Applauſere illi quidem et conſilium ſummopere laudarunt; ſed nec conuenientia ſubſidia ſubminiſtrare, nec, codices manuſcriptos domi concredere ipſi voluerunt. Ille cum bibliothecas in vaſtisſima ciuitate tempore caloris et pluuiae adire recuſaret, exſecutioni ſuperſedit.

(*) Cuius apographum præſto eſt, alio forte luci publicae exponendum tempore.

Transactis sic otiose propemodum annis quatuor, conscientiae stimulis perpetuo agitatus, a moribus eorum et superstitionibus abhorrens, et sibi mentique vim inferre, et animam periculo (corpori enim bene erat) obiicere, diutius nolens, in patriam, quo facilius obtineret, redeundi facultatem petiit, illaque sic obtenta, duobus fere abhinc annis in Angliam iuit iterum, prouidentia modum ad iter supp editante.

Turbata erat tum ibi rerum facies. Dum aliquid agendum quaereret, per amicos venit in notitiam D. Ant. Boemi, praefati Principis Georgii Dani fato functi a sacris.

Hic eum humaniter ac Christiane excepit iuuitque, quin, vt Halam Magdeburgi denuo rediret, auctor ac impulsor fuerit. Salomon Negri, veteris amicitiae, humanitatis et Christianae indolis eorum, apud quos iam degerat, memor, facile in hanc sententiam adduci se passus est. Spe ductus, fore, vt regioni et aeri sese assuefacere, et ita reliquum vitae cursum et peregrinationum finem demum facere posset. Quapropter, comparatis in Anglia et Batauia, quantum per angustam rem potuit, libris ad linguas orientales docendas aptis, Halam venit. Verum spes eum sua ingensque versus illum locum studium fefellere. Numquam enim, adhibitis licet omnibus cautionibus, vel aeri, vel cibo, vel potui, vel ipsis etiam vitae commodis consuescere par fuit. Cum itaque aduersa valetudine per XVI menses, quos ibi transegit, semper vteretur, et maiorem grauioremque morbum extimescens, in Angliam tertio redire statuit. Hinc libris suis partim Orphanotropheo donatis, partim distractis, postquam nonnulla in Arabicis praestitisset, prouidentiae diuinae se resque suas committens Londinum petiit.

* * *

Haec hactenus de vitae suae conuersionibus praecipuis *Damascenus;* cui quidem narrationi velut mantissae loco subnectimus *Eiusdem de studio linguae Arabicae praesidiisque illius potioribus hypomnemata;* quamquam facile appareat multis ista quidem partibus haud exiguas accessiones admittere, postquam plus in hoc genere a summis viris SCHVLTENSIO aliisque laboratum est post illud tempus, quo consignatae sunt haec quae itidem ex autographo auctoris hic exhibemus.

De

De ſtudio linguae Arabicae obſeruationes.

Quantum ad linguae Arabicae ſtudium et ſubſidia ad notitiam illius aſſequendam, dolendum ſane eſt, quod tam raro idonei inueniantur praeceptores, et tam exigua habeantur adiumenta. Praeceptorum quidem paucitati vix poteſt occurri; cum ne celeberrimae quidem academiae id vel curare, vel his ſtudiis velint proſpicere pro rei dignitate: ſubſidiorum vero defectum ſupplere debet ſtudioſorum induſtria diligentiaque, quae ſi adſint, ea quae iam habentur, ſufficient.

De inſtituendi ſtudii ratione, tam praeclara de hac re cum ERPENII, tum GOLII (qui duo ſoli magiſtri linguae Arabicae in Europa conſultiſſimi appellari debent) exſtant conſilia, vt niſi ex officio tenerer aliquid circa libros iam editos notare, omnes ad illa remitterem.

Prodierunt varii in variis locis Arabici libri. Omnium autem praeſtantiſſimi ſimul et vtiliſſimi, qui in Batauia et Anglia excuſi ſunt. Omnia, quæ edidit ERPENIVS, exceptis ſuis *prouerbiis* et *ſententiis* (quas non recte vertit) haberi debent. Ipſius *Hiſtoria Saracenica*, licet alicubi mendoſe reddita, vt iam annotauit GOLIVS, magni tamen eſt facienda propter nitidum autographi ſtilum, praeſertim cum in dies fit rarior. Vtinam eiusdem *N. T.* eſſet magis obvium. Operae pretium etiam foret paruam ſaltem ipſius *Grammaticam* denuo excudi, quo ſtudioſorum commodo et ſumtibus conſuli poſſet.

GOLII *Dictionarium*, vnicum ſciendae huius linguae inſtrumentum, et quae addidit ad ERPENII *Grammaticam*, et ſuus ALFARGANVS Arabice et Latine ſunt omnia opera GOLIO digna. *Hiſtoria* vero *Tamerlanis* quam edidit, ſi ab ipſo addita fuiſſet verſio Latina (nemo enim praeter eum illam interpretari potuiſſet) maximi momenti eſſet ad peritiam huius linguae abſolutam acquirendam, ſed vt ſic, et mendis typographicis conſperſa, non niſi maxime provectis vſui eſſe poteſt.

Multa praeclara eaque vtilia edidit POCOCKIVS Oxonii. Omnia ſunt magnifacienda; et quidquid in Anglia editum eſt, vtilitate non caret.

Ex Gallia paucisſima habentur. Attamen *biblia polyglotta del Joye* ſunt vere regia, typorum et chartae nitore Londinenſibus longe praeſtantiora, veneunt praeterea vili. Eſt et *liber doctrinae chriſtianae*

ſtianae dicatus Cardinali de Richelieu, ſatis bene ſcriptus, item et *libellus cogitationum chriſtianarum* elegantisſimo charactere editus.

In Italia licet plurimi Arabice editi fuerint libri, pauci tamen laudem merentur. Qui enim Romae praeſertim in lucem venerunt typis Propagandae, ſi editionem *Quatuor Euangeliorum* cum et ſine interpretatione Latina, in folio, et duas *Grammaticas*, alteram in quarto Arabice tantum, in octauo alteram cum expoſitione Arabice et Latine, et *inſtitutiones linguae Arabicae* GUADAGNOLI excipias, ceteri fere nihil valent. Omnium autem pesſimi ſunt libri ſacri a Maronitis editi, vt et alia cuiuscunque argumenti, exceptis iis qui ECHELLENSIS, SIONITAE et AMIRAE ferunt nomina, monachorum opera, omnia nihili facienda: iſti enim et Maronitae linguam Arabicam deturparunt corruperuntque; et editiones ipſorum mendis ſcatent. Inſignis ſane eſt et omni laude digna *Pſalmorum* editio, quae ad genuinum typographiae Arabicae exemplum proponi debet, et qua nihil vllibi in Europa pulchrius et ad guſtum calligraphiae accommodatius eſt editum; ſed liber typis Sauarianis, non collegii vrbani fuit excuſus.

Elementa EVCLIDIS optime ſunt edita et inueniuntur facile in Gallia, ſed pulcherrima AVICENNAE *Opera* ſunt adeo rara, vt non niſi apud magnum Etruriae ducem inueniantur. Ille remanentia ſeruat exemplaria, et dat quaedam aliqua gratia et obſecrationibus.

Miſera illa eſt *Alcorani* editio *Patauina* auctore MARACCIO, notae tamen et interpretatio contemni non debent, et licet macilentis characteribus ſit excuſa, Hamburgi editione et praeſtantior et emendatior eſt.

Grammaticae omnes cuiuscunque auctoris vel editionis parui faciendae ſunt. Omnes enim ſcriptores Magiſtri ERPENII veſtigia presſere, et qui nonnulla ipſius operi addere vel demere tentarunt, illud deturparunt et praeclaram eius methodum peruerterunt.

In Turcicis et Perſicis pauciora adhuc exſtant ſubſidia. MENINSKI laudari ſatis non poteſt. Commendentur IOANNIS PODESTA *Opera* Viennae edita. Opus GEORGII GENTII praeclarum eſt; ſed interpretatio, quia ſenſui magis quam literae adhaeret, ad linguam diſcendam incipientibus non magnam affert vtilitatem, ni Arabice gnari calleant.

Cetera melius progreſſu temporis notabuntur, et de iis accuratior notitia dari poterit.

ADNO-

ADNOTATIONES QVAEDAM EDITORIS PRO ILLVSTRANDA BIOGRAPHIA NEGRIANA.

I. Narrationem Damaſceni legentibus facile apparebit, temporis rationes, numerosque annorum, quibus conuerſiones vitae ſuae potiores acciderint, non admodum curioſe ipſum exhibuiſſe, in quibus tamen aliunde quaedam ſupplere dabitur. Quo anno in lucem editus ſit, vt ipſe hic exſerte non refert, ita nec alio indicio ſatis pro certo inquirentibus innotuit. Quodſi in Gallia, in quam aetatis anno duodeuiceſimo venit, annos XVI exegit, id quod memoria, nec ea tamen omnino certa, tenere ſe ſciſcitantibus nobis S. V. MICHAELIS reſpondit; poſſet exinde tempus natiuitatis prope definiri, quandoquidem dubio vacat, eum in Angliam, relicta Gallia, peruenisſe anno MDCCI, ac proinde annos habentem tunc circiter XXXIV. Poſt varios caſus vicesque, quae ab ipſomet relatae legi poſſunt, anno ſaeculi XXIX (aut XXVIII) diem obiit in Anglia, quam tertium repetierat. Cognouimus id ex praefatione B. IO. HENR. CALLENBERGII *Catechismo Lutheri Arabice edito* praemiſſa, in qua commemoratur, *haud ita pridem in Anglia Salomonem Negri mortuum eſſe.* Scripta autem eſt illa praefatio m. Mart. CIↃIↃCCXXIX.

II. LVDOLFVS ille, cuius hortatu Halam primum ſe petiiſſe Syrus noſter refert, vel praenomine facile diſtinguitur a celeberrimo, qui iſthoc natu maior fuit IOBO LVDOLFO. Hunc nempe Aethiopicarum litterarum inter Europaeos magiſtrum ſtatoremque principem, monumentis eo ſpectantibus dudum nominatiſſimum, is, de quo hic agitur, HENRICVS GVILIELMVS patruum habuit. Vtrique natale ſolum Thuringia, ſed iuniori huic Anglia (*) deinceps quaſi ſecundaria

(*) Quae de patria LVDOLFI attulimus, ipſius verbis confirmantur: „ *Natus* „ *Erfordi in Germania, mira prouidentia* „ *transplantatus in Angliam et variis caſi-* „ *bus eruditus, viro bono vbique quidem* „ *eſſe patriam, ſed viro regenito extra* „ *hunc mundum quaerendam eſſe patriam.*„ Haec ille in litteris ad B. A. H. FRANCKIVM narrat a ſe libro cuidam (*inter alia*) inſcripta eſſe, quem Patribus Terrae Sanctae Cairo abiens in ſui memoriam reliquerit.

daria fuit patria, in qua functus eo munere quod supra a Biographo nostro designatum est, non exiguum tempus postmodum itineribus faciundis consumsit, in quibus Viro eximio, vtpote sanctioribus quibusdam igniculis inflammato hoc vel in primis fuit propositum, vt quauis occasione oblata vel sapienter arrepta, omnique modo pro virili aliquid conferret ad notitiam Christi ac genuini Christianismi propagandam, in remotisque a meliore luce terris disseminandam. Itaque in linguis variis addiscendis, quibus ad commercium vel sermonis ac consuetudinis, vel litterarum opus esse videbatur, nulli nec operae pepercit nec sumtui. Quas celeriter etiam arripiebat et tenebat accurate. Multa quae narrari possent de ipso, longum esset referre; quaedam notatu digna haud leuis auctor, sed prudens ingeniorum meritorumque existimator B. GODOFREDVS VOCKERODTIVS neruose complexus est (*) cuius verba, quae et hic legantur digna sunt. Ita autem ille postquam de illustri meritissimoque *Nostri Patruo* honorificam mentionem fecisset: „cognatus eius (IOBI LVDOLFI) qui Serenissimo Annae Britannicae marito, regio Danico „ principi, GEORGIO a Secretis fuit, cum ipse peragrasset plures „ Orientis et Septentrionis tractus, et Rusorum litteras ita perdidi„ cisset, vt tradere posset aliis; quod ab ingenio et manu eius pro„ fectum Rusicae Grammaticae specimen ostendit: praecipuus au„ ctor et adiutor fuit *regiarum societatum de propaganda fide et cursu* „ *Euangelii promouendo:* nec destitit circumspicere, donec Arabicae „ litteraturae magistros commodos reperiret, qui in Academiis Ger„ maniae ista studia possent excitare. Ita eius auctoritatem secuti „ duo litteratissimi viri, *Salomo Negri* et *Rali Dadichi* Halae, et „ alter Lipsiae, etiam Gothae cum applausu et successu linguam „ docuerunt Arabicam, et plurium iuuenum studia prouocarunt ad „ amplectendum persequendumque id genus litterarum. „ Hactenus Ille. Plura ad noscendum LVDOLFI ingenium laudabilesque conatus peti possunt ex libro quodam post obitum Viri in Anglia edito et varia ipsius λείψανα complexo: *The pious Remains of Mr. H. W. Ludolf London 1712.* Nec tacenda sunt *academica* nonnulla, quae apud nos inde ab anno CIↃIↃCCLII edita sunt *programmata*, in quibus *conatus* EIVSDEM *circa ecclesiae orientalis salutem* commemorantur, scriptore B. D. IO. HENR. CALLENBERGIO. Quodsi laudari

(*) In *Progr.* quod inscribitur *Victoria veritatis Euangelicae* cet. CIↃIↃCCXXIII.

dari pulchrum eſt a laudato viro, (*) non deeſt hac in parte *Salomoni* ſuo LVDOLFVS, ſed variis in litteris ipſo illo tempore, quo iter in Germaniam ipſi perſuaſit, ad B. FRANCKIVM datis, quam ſibi *Damaſcenus* magis magisque probetur, et quam egregia ſpondeat cognita indoles ipſius, profitetur; quae encomia ex epiſtolis illis, quae in manibus noſtris ſunt, facile colligi, ſi opus eſſet, deſcribique poſſent.

Quod ad iter SALOMONIS NEGRI ad Halenſes Muſas LVDOLFI auctoritati ac ſuaſu prima vice ſusceptum attinet; incidit Viri optimi apud nos aduentus, aeſtiuum in tempus *anni ſupra milleſimum ſeptingenteſimum primi*, id quod ex *Ludolfinis epiſtolis* hoc fine perquiſitis nobis patuit. (**) Quoad hic fuit diligentisſimus Vir, totum ſe ſuaque tempora impertiit Fridericianae ciuibus iis, qui ſevera lege vellent in litteratura orientali ipſo duce proficere, pluresque praeſertim tradenda Arabica lingua huiusque interiori ac recondita ratione recludenda ſibi obſtrinxit. Inſtituebatur circa illam fere ipſam tempeſtatem, *Collegium orientale theologicum* auctore et directore B. AVG. HERMANNO FRANCKIO, cuius memoria famaque Societatis egregio praeſertim nobiliſimoque opere *Bibliorum ebraicorum*, variis lectionibus adnotationibusque vtiliſimis inſtru-

B ctorum,

(*) Placet h. l. imaginem quandam B. LVDOLFI ſ. characterem moralem, vt noſtri vocant, ſubiicere ex *Programmate Academico Natal.* a. CIↃIↃCCLII. „*Senſu religioſo imbutus iuuenis, factus vir, isque politicus et politiſſimae pars aulae, inter tot ſecus ſentientes viuentesque, ſincerum erga Deum ſeruat animum, ac ſancte viuere haud erubeſcit; ſtationis in qua collocatus eſt munia, quamdiu per valetudinem licet, ſapienter fideliter et cum gratia obit: vacationem a labore regio conſequutus omne tempus ſtudiumque omne conuertit ad boni diuini, quod mens animusque eius nactus erat, communicationem: hanc quoquouerſus, vbi Deus aperit viam, molitur ac peragit; bene volens vniuerſo generi humano, ſine vllo lucello; prudenter ſine vlla euagatione; ſucceſſu conatum operamque ſequente mirabili. — — Solida etiam illa, ſincera, ſerena, quae expetit et adipiſcitur gaudia vitaeque ſolatia, cum alioquin in ſummo quoque imaginariae felicitatis gradu nihil praeter ſplendidam miſeriam habeamus; merentur ſane vt cogitentur, cum ipſa tum ei cognata.*„

(**) In litteris LVDOLFI, *Oxon. d. XII Iun.* ad b. AVG. HERM. FRANCKIVM datis, refertur, *Salomonem* Amſtelodamo certiorem ipſum (*Ludolfum*) feciſe de profectione ad nos proxime ſuscipienda; in aliis autem litteris *Oxon. d. XVIII Aug.* datis ad B. FRANCKIVM, ab HOC ſuis verbis ſalutari cupit *Damaſcenum*, cuius ipſe litteras *menſe Iulio* Hala miſſas rite acceperit. cet.

ctorum, immortalitati satis commendata esse videtur. (*) Horum igitur lectissimorum sodalium studium industriamque mirum in modum acuebat facile prouocabatque litteratissimi illius peregrini doctrina et in docendis aliis cum fidelitate coniuncta dexteritas: retulit tamen praeter ceteros amplissimum ex illa disciplina fructum is, qui solus adhuc omni ex numero illius Collegii in viuis supersit, SENEX VENERABILIS, Academiaeque totius meritissimus Senior, D. CHRISTIANVS BENEDICTVS MICHAELIS, hic etiam honoris caussa nominandus. Praeterquam enim, quod communiter certis quotidie horis cum aliis illius magistri vteretur institutione, priuatiori etiam eiusdem in Arabicis gauisus est manuductione. Incidimus haud ita pridem inter alia litteraria monumenta mscta *Collegii* quod diximus *Orientalis* in narrationem compendiariam, quam de vita sua, quoad haec tum quidem acta erat, conscripsit SENEX noster VENER. ante annos amplius sexaginta (MDCCII m. Mai.) In ea igitur cum occurrant etiam, quae ad id quod diximus, declarandum faciant, adscribimus, cum res non aliunde melius accuratiusque constare possit, bona cum venia vt speramus, paceque VIRI SVMME VENER. nonnulla, quibus suum Arabismi duce S. NEGRI studium, quale ista memoria fuerit, edisserit. Postquam igitur secessus cuiusdam Francofurtensis meminisset, in quo Illustrem IOBVM LVDOLFVM *in Psalterii aethiopici* et *Grammaticae* editione adiuuerat, haec subiungit: „*Commodissime tum* (nempe vbi „ ab LVDOLFO honestissime dimissus Halamque redux esset factus) „ *accidit, vt Arabem quendam Damascenum, politissimum hominem,* „ *hic linguam Arabicam docentem reperirem. Itaque incidebat mihi* „ *in mentem, et alii quoque, quorum consilio et auctoritati repugnare* „ *non debeo, existimabant, tantam opportunitatem non esse temere mi-* „ *hi praetermittendam. Ita non solum scriptionis Arabicae artem,* „ *quae*

(*) Propositum quidem huic Collegio erat, vt, continuata per plures annos prudenterque suscepta partim linguarum sacrarum et orientalium, partim etiam singularum Theologiae partium cultura, Ecclesiae et Academiis sufficerentur idonei et bene praeparati doctores. De quo plura habentur cum in GODOFR. VOCKERODTII *commentatione de eruditorum, societatibus*, tum praecipue in praef. B. IO. HENR. MICHAELIS *Bibliorum* editioni praemissa. Auspicia Collegii, quod ibi quidem Vir B. ad m. *Maium* CIↃIↃCCII refert, id forte de solenni quasi dedicatione collegii intellectum voluit, quandoquidem ex variis, quae ad manus sunt monumentis Msctis apparet, iam m. *Martio* e. a. inchoatum quodammodo esse, pluresque in illud iam tum cooptatos.

„ *quae apud orientales populos maxime aestimatur, didici*, (*) *sed et-*
„ *iam cum aliis condiscipulis vniuersum Coranum, priuatissime autem*
„ *N. T. et commentatorem Corani Arabicum Msctum, quem bibliotheca*
„ *Orphanotrophei possidet studiose legi.* „ Subnectimus huic testimonio de meritis nostri Arabis aliud ex eodem tempore non minus dignum fide. Reddit illud b. M. ABRAHAMVS KALL, Flensburgo-Cimber, itidem tunc Collegio illi adscriptus, de cuius *Dissertatione* sub B. IO. HENR. MICHAELIS MDCCVI habita, *qua Codices Msctos Biblico ebraicos, maxime Erfurtenses, descripsit*, aliaque eiusdem opera in edendis *Bibliis ebraicis* praestita videndus horum EDITOR ὁ μαχαιρίτης *in praefatione* laudati operis c. I. §. II. Is igitur in *vitae suae imagine* a. MDCCII. adumbrata, haec habet huc facientia: „ *Egregie — quantum ad (linguam) Arabicam attinet, suppetias nobis*
„ *tulit Damascenus noster doctissimus, ante annum ferme totum non sine*
„ *singulari prouidentia diuina ad nos delatus, qui capita Corani omnia*
„ *exponendo nobis praeiuit idque singulis diebus per duas horas.* „ Ceterum non modo academicorum ciuium diligentiae studiisque praefuit SAL. NEGRI, sed insuper e scholasticorum numero, qui in institutis Glauchensibus ad humanitatis studia formabantur, praestantiora quaedam ingenia, Arabicae litteraturae gustu imbuit. Fuit tum in isto numero praecocis ingenii adolescens, et qui iam ea aetate eximiae cuiusdam, qua deinceps inclaruit, spem facile adferret eruditionis, B. IO. HENRICVS SCHVLTZIVS, Medicinae quondam in Fridericiana nostra, Eloquentiae et Antiquitatum Professor celeberrimus. Hunc enim ipsum Arabis disciplina eruditum fuisse, ex ore habemus Viri Summe Ven. D. C. B. MICHAELIS. En ipsa SCHVLTZII verba ex elegantissima, quae ad DOCTOREM NOSTRVM SEMISECVLAREM a. MDCCXXXIX publice data exstat epistola: (**) P. P. „ *Tertius iam*

„ *annus*

(*) Quam felici successu in difficiliori Arabum Calligraphia sub illo magistro profecerit PHILOLOGVS NOSTER PRIMARIVS, contigit nobis in speciminibus, quae oculis vsurpauimus, identidem admirari. Ita v. c. integrae *versionis Psalterii Arabicae* apographon vidimus ad aliud ab SALOMONE NEGRI Roma huc missum b. FRANCKIO (et deinde in Bibliothecam *Collegii Orientalis* relatum) nitidissime ab IPSO expressum. Protographum huius *versionis Psalterii*, quae diuersa est ab illa, quae in Polyglottis habetur, neque vnquam edita, exstat in *Bibliotheca Romana Petri de monte aureo;* vnde Damasceno Romae versanti describere licuit.

(**) Adiecta est illa dissertationi de *Antiquitate Punctorum ebraicorum*, quae inauguralis tum fuerat illustri IO. DAV. MICHAELIS, praeside PARENTE OPTIMO habita.

„ *annus ſuper quadrageſimum decurrit, ex quo primum huc delatus in Pae-*
„ *dagogio regio commilitonem quamquam impari gradu, tiro ipſemet,* TE
„ *triarium habui et cognoui. Poſt quatuor annos ſub eodem magiſtro,*
„ *viro optimo et fidelisſimo,* SALOMONE NEGRI, *Damaſceno, Ara-*
„ *bicae linguae operam dabamus, cumque is in Britanniam hinc auo-*
„ *caretur,* TIVO *efficiebatur ſtudio, ne ſemina a Damaſceno ſparſa et*
„ *laete iam ſuccreſcentia, pabuli quotidiani defectu marceſcerent.*
„ *Quidquid enim priuatisſima praeceptoris inſtitutione atque longiori*
„ *litterarum orientalium vſu amplius, quam mecum eiusdem aetatis ſo-*
„ *cii, perceperas, id binis integris annis beneuole nobiscum commuica-*
„ *bas.* „ Haec hactenus de prima Viri in Academia noſtra commo-
ratione, operaque per annuum fere ſpatium laudabiliter nauata.

Idem, poſteaquam in Venetis deinceps, itemque variis interuallis Conſtantinopoli, degisſet vitam, ac poſtremo Romae aliquamdiu haesisſet, quam moleſtum esſet ſibi inter Italos illos viuere, et quam ad has oras regionesque redire praeoptaret, datis ad b. AVG. HERM. FRANCKIVM litteris profesſus eſt. Factum deinde, dante Deo propitio, vt relicta Italia in Angliam rediret, quod tempore verno anni MDCCXV factum esſe, ex *ſylloge epiſtolarum* poſthuma B. ANT. GVIL. BOEHMII didicimus, qui poſt alia quaedam, de hoc Damaſceni ad Anglos reditu haec habet in litteris *vlt. Maii m.* ſcriptis: (*)
„ *Negri Anglicanam nauem in portu Liburno conſcendit, quae ante ali-*
„ *quot ſeptimanas ad noſtras ipſum detulit oras.* „ BOEHMIVS hic, non ignotus e ſcriptis variis in Germania poſt obitum ipſius editis (vt *Hiſtoria Reform. Angl.* variisque ad praxin Chriſtianiſmi ſpectantibus) quo erat alios quosuis iuuandi, et communi ciuitatis DEI commodo inſeruiendi ſtudio, cum ex voto nequiret Arabi in Anglia ea tempeſtate proſpicere, auctor fuit, vt, a qua re nec ipſe per ſe alienus fuerat NEGRI, Halam noſtram repeteret. Itaque fecit, Muſisque Halenſibus poſt trium fere luſtrorum intercapedinem eſt redditus. Neque is adeo diu, antequam id conſilii caperet perficeretque, in Anglia commoratus esſe videtur.

Potisſimam partem alterius huius ſeceſſus in annum MDCCXVI incidisſe, colligimus ex nonnullis indiciis. Sic *Septembri menſe* illius anni hic degens *verſionem Arabicam Catechiſmi minoris Lutheri* elegantisſimis litteris ſcripſit, quae e regione latinam verſionem adſcriptam habet, presſam illam, et Arabicorum verborum genium in tironum vt videtur vſum accurate reddentem. Latina auditorum Ipſius aliquis

(*) A. W. BOEHM. *Erbauliche Briefe* p. 422.

aliquis ſcripſiſſe videtur, a cuius manu ſunt etiam, quae in titulo opuſculi notata leguntur: „*Hanc verſionem Arabicam ex librorum ſymbolicorum Textu Latino elaborauit, et in Orphanotrophii Halenſis Bibliotheca reliquit, Salom. Negri Damaſcenus* cet.„ In extrema pagina autem Arabice ab ipſo SALOMONE ſcripta quaedam adnotatio, quae ita ad verbum latine reddita legitur: „*Iam igitur eſt abſolutio (ſ. ad finem perductio) eius die quarto; abſolutus eſt diebus tribus et viginti ex menſe Septembri anni 1716. per manum Salomonis Negri, Damaſceni, et iam (ille) ſcripſit in praeſcriptionem (zu einer Arabiſchen Vorſchrift) theſauri librorum (i. e. Bibliothecae) domus Orphanorum, quae (eſt) in vrbe Hala in regione Saxonia.*„

Caeterum non minus altero hoc ſpatio temporis, quod XVI menſes impleuit, quam olim, reperit heic loci, qui litteraturae Arabicae cupidi ſummo ſe ad tam idoneum ducem moderatoremque applicarent ſtudio. Ex hoc numero nobis quidem innotuit B. D. IO. HENR. CALLENBERGIVS, qui nonnulla etiam ſub ductu Damaſceni elucubrata deinceps edidit, conſiliisque et inſtitutis ad Orientalium non minus, quam Iudaeorum ſalutem promouendam ſpectantibus, optime meritus ac nobilitatus eſt. Praeterea etiam magiſtro hoc vſus eſt illo tempore Vir Excellentiſſ. doctiſſimusque, Philoſ. et Mathem. Prof. clariſſimus, IO. IOACH. LANGIVS, quem conſtat (*) id quoque genus litterarum ante hos XL annos in Academia noſtra, cum ordini Philoſophorum Adiunctus eſſet, profeſſum eſſe, ac praeter alia, orientis linguas et in his Arabicam docuiſſe, antequam in diuerſo prorſus doctrinae genere vitae domicilium poneret.

IV. Abiens Hala NEGRI, vt ipſe refert, partem apparatus librarii in Bibliothecam Orphanotrophei tranſire voluit; quo in genere praeſertim magni aeſtimandi ſunt varii orientales libri, mann doctiſſimi viri eleganter deſcripti. Sic v. c. adſeruatur in dicta Bibliotheca liber Turcicus, cui haec praeſcripta ſunt: *Hiſtoria Bachtja ſiue liber moralis Turcice ſcriptus; agit de praecipuis virtutibus in decem fabulis. Salomon Negri propter purum autoris ſermonem ſibi deſcripſit.* In alio eiusdem fere molis (4.) haec reperiuntur *manu donatoris Damaſceni* conſignata: *Vocabularium quinque autorum metrice conſcriptum, Perſico-Turcicum et Turcico-Perſicum et Perſico-Arabicum. Accedit in fine Monita Attari ſiue inſtitutio iuuentutis carmi-*

(*) Vid. *Programma*, quod de *lectionum ſuarum ratione a. MDCCXXIII* edidit VIR DOCTISSIMVS, quem Deus Academiae diu adhuc ſeruet!

carminibus Perſicis. Liber magnae exiſtimationis apud eos et autor claſſicus eſt. Sal. Negri latine vertit, quem forte aliquando in lucem dabit. (*) Adiicimus vnius adhuc indicium: *Centum ſententiae Turcicae ſtilo Curiae, vulgo Diuanico dicto, conſcriptae ad diſcendam Calligraphiam Turcicam, quae Conſtantinopoli accepit a ſuo in Turcicis et Perſicis praeceptore, Ibrahim Afendi, Salomon Negri. Pleraeque ſunt formulae epiſtolares et imperialium diplomatum.* Sed haec quidem ſufficiant. Quod autem

V. ad ſtudia ac merita laudatiſſimi Viri attinet in Angliam reducis, memoratu dignum eſt vel in primis hoc, quod, cum celeberrima ibi florens Societas, quae a *promouenda Chriſti cognitione* nomen habet, curam ſumtusque ſuscepiſſet *Arabici N. T.* edendi, nec vero meliorem in tam praeclaro inſtituto adiutorem moderatoremque operarum reperire facile poſſet *Salomone Negri*, hic ſtudium in id ſuum induſtriamque lubens impenderit. Dignum videlicet ſanctiore propoſito, quod nomine ſuo praefert ſocietas illa, conſilium inierat, ſubueniendi neceſſitatibus ac ſaluti orientalium chriſtianorum, quorum familiae bene multae per Palaeſtinam, Syriam, Meſopotamiam, Arabiam, Aegyptum ſparſae, vel loquuntur Arabica lingua, vel eam ſaltem intelligunt; caeterum dura miſeraque multis nominibus vtuntur conditione. Horum ergo in gratiam, ciuitatis chriſtianae cauſa impenſe cupientes Angli, populariumque ſuorum ſtudia prouocaturi, iam MDCCXX edito libello ſingulari (**) conſilium prodiderant de noua editione tam *Pſalterii* quam *Noui Teſtamenti Arabici*, charta

(*) Latinam verſionem forte alicubi in ſcriniis Bibliothecae latentem nunc non ad manus habemus, ſed ipſum exemplum Orientale.

(**) Inſcribitur: *An Extract of ſeveral letters relating to the great charity and uſefullneſs of printing the Niew Teſt. and Pſalter in the Arabick language, for the benefit of the poor chriſtians in Paleſtina, Syria, Meſopotamia, Arabia, Egypt and otter Eastem Countries, with a Propoſal for Executing ſo good an untertaking.* conf. *Der Daeniſchen Miſſionarien Berichte aus Oſtindien* T. II. *Cont. XVIII. Vorred.* it. *Cont. XIX. p. 372 ſq.* Obiter notamus, Societatem illam *de promouenda Chriſti cognitione (Society of promoting chriſtian Knowledge)* anno CIↃIↃCLXXXXVIII. inſtitutam, facile cum alia confundi, quae aliquot poſt illam annis coiit, et Euangelio in regionibus Americanis propagando inprimis deſtinata eſt (— *of propagating the Gospel in the foreing parts).* Vid. de his ſimilibusque ſocietatibus, b. BOEHMII litterae lat. ad *Miſſionarios Dan.* auctoritate et iuſſu Societatis ſcriptae in Sylloge cit. p. 172 ſqq. BENTHEMII *Engl. Kirchen- und Schulen-Staat* p. 141. it. *Act. hiſtor. Eccl.* vol. III. p. 157 ſqq. et S. V. G. A. FRANCKII *Theologiſch-hiſtoriſche Abhandlungen* p. 315 ſq.

charta praeſtantiori nouisque litterarum formulis procuranda, ea quidem mente ac fine, vt quae imprimenda primum ſtatuerant *octies mille* exempla inter orientales illos diſtribuerentur iisque mitterentur muneri. Non caruit fauore applauſuque laudabile conſilium, fueruntque qui munifice opus ſe adiuturos pollicerentur, ita vt biennio poſt de numero, quem diximus, ad *decem millia* exemplorum augendo ſtatueretur. Intercesſit deinde antequam perficeretur omnino negotium mora aliqua, exinde praeſertim, quod exempli cuiusdam Mſcti illius verſionis a Damaſceno Patriarcha approbati, et hac quaſi auctoritate muniti compotes fieri vellent, prout ſpes facta erat; ſic enim minus impedimenti diſtributioni impreſſorum exemplarium deinde in illis regionibus obiectum iri rebantur, praeſertim cum facile appareret, Ieſuitas, qui dicuntur, pium illud inſtitutum inter orientales, quibus hoc modo conſultum ibatur, ſufflaminaturos, quacumque poſſent ratione. Prodiit autem anno MDCCXXIV m. Sept. *Pſalterium Arabicum* Londini, illudque triennio poſt ſecutum eſt a. MDCCXXVII *integrum N. T. Arab.* nitidiſſime typis deſcriptum, cuius nonnulla exempla Halam etiam indidem transmiſſa ſunt.

II.

SALOMONIS NEGRI
TRACTATIO CRITICA
DE
NOVI TESTAMENTI VERSIONE TVRCICA.

PRAESTANTISSIMI VIRI,

Accurata librorum ſacrorum noui foederis in lingua Turcica interpretatio, quo plus ab omnibus viris piis optanda; eo minus nobis videtur eſſe ſperanda. Tum propter multarum rerum et linguarum, quae ad illam rite conficiendam requiruntur, cognitionem; tum propter inexſuperabilem fere idiomatis Turcici difficultatem. Conſilium hoc adeo arduum, adeo periculis obſitum, atque tam incerti euentus eſt, vt neque ab vno homine, neque breui tempore, neque omnibus in locis exſecutioni mandari vmquam poſſit. Quod quidem D. SEAMAN, (*) qui in ſua interpretatione (cuius collatio emendatioque nunc petitur) exitum habuit minime felicem, ſatis ſuperque comprobatur.

Etenim quis eſt ille fortunatus homo, cui ad tale ac tantum opus aggrediendum tot virtutum praeſidia, tot naturae et gratiae ornamenta, tantum otii, et tanta ſupellex librorum ſuppetant? Haec ne magnificentius iactata quam verius videantur, operae pretium erit, paullo attentius disquirere, quam ob rem interpreti SEAMAN, res e ſententia non ceciderit: et vtrum eius interpretationem cum textu graeco nobis hic loci conferre aut emendare liceat: quo et tanta rei difficultas illuſtretur; et quaedam ad opus illud praeſtandum (ſi Deus vmquam pares ad id vires concesſerit) praemonſtretur via.

Ac primum quidem, de omnibus iis quae in ſacrorum codicum interprete inueniri atque ineſſe, pro certo habentur, dotibus, praeſidiis ac ornamentis, diſſerere in animo non habeo. Siue illa ſint ſupra naturam poſita, et ſoli diuinae gratiae debeantur; ſiue ad naturae et doctrinae adiumenta referantur. Tum quia omnes viri pietate

(*) h. e. vt interpretamur, exemplo SEAMANI.

pietate ac eruditione conſpicui, illa optime intelligunt, et feliciter ſentiunt: tum quia res ſunt adeo notae atque teſtatae, aut certe ſic exiſtimari debent, vt nulla probatione indigeant.

Itaque, vt omittam impraeſentiarum eam (quamuis omnium ſit ſumma et caput) chriſtianam ſapientiam, ſine qua res ſacras, vtpote τὰ τοῦ Θεοῦ οὐδεὶς οἶδεν εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ, tractare, nemini licet; vt taceam quoque veram ac ſolidam fidei noſtrae myſteriorum cognitionem ac intelligentiam; denique vt nihil dicam de erudita, tum ſacrarum, Hebraicae, Syriacae et Graecae, tum vulgarium, Latinae et ſaltem Gallicae, linguarum, complexione: ſolam illam trium, quae ad interpretationem, de qua agitur, Arabicae, ſcilicet, Turcicae et Perſicae, omnino requiritur, perpendamus peritiam.

Quod tres, (*hae linguae*) et quidem bene intellectae, mutua ac eadem opera faciant, ad praefatam interpretationem adornandam, nemo eorum, qui, vel aliquam ipſarum intelligit, vel ipſum etiam interpretis SEAMAN opus obiter inſpexerit, dubitare poteſt; praeſertim ſi cognitum ille perſpectumque habeat, quale ſit linguae Turcicae ingenium. Erenim Turcarum ſermo, cum per ſe ipſum adeo barbarus, ſterilis ac pedeſtris a natura exiſtat, non posſunt, etiam infimi ordinis homines Turcae, (ſi velint mentem ſuam aperire, ac ſenſus congrue decenterque exprimere,) quin plurima ab vtroque, Arabico et Perſico ſermone, mutuentur vocabula. Legibus et praeceptis Mahometanae ſectae, quae innumeras paene voces Arabicas in vſum induxit, debentur neceſſitatis huius incrementa. Temporis vero progreſſu, inducta per litteras et commercium cum Arabibus et Perſis vrbanitate ac morum elegantia, haec peregrinis vocibus vtendi neceſſitas paullatim in licentiam et luxuriem degenerauit.

Hinc etiam factum eſt, vt quicunque politioris litteraturae, doctrinae reconditioris et artis bene dicendi gloria, inter ſuos florere ac inclareſcere voluerunt, artificio componendae orationis toto animo ſeſe dediderint; atque ſic inepto ſuorum ſermoni, adhibito verborum et ſententiarum, Arabice et Perſice, (*) apparatu, nitorem, grauitatem ac decorem conciliare ſtuduerunt. Verum quia non omnes felici ſidere nati, nec paria ad eloquentiam a natura, habent adiumenta, non omnes etiam pares in hoc ſcribendi genere habuere

 ſucces-

(*) Deeſſe videtur, *expreſſarum*, aut ſimile quid.

ſucceſſus. Multi enim, cum, inuita Minerua, manum ad calamum admouiſſent, ſua turpiter cecidere cauſſa, et a ſuis hodierno etiam die, maledico dente carpuntur.

Nec certe mirum videri debet, ſaltem iis, qui has litteras vel a limine ſalutarunt. Incredibile enim eſt, quot animi dotes, quot virtutes, et quot notitiae requirantur ad opera cuiuscunque generis in hoc triplici ſermone conſcribenda: ita vt tria ſimul idiomata artificioſe intexi et commode miſceri queant, ſua vnicuique ſeruata proprietate.

His in genere ita notatis, vnusquisque facile percipit, quare interpres Anglus, vtpote alienigena, optato caruerit ſucceſſu, et quantum eam ob cauſam dignus ſit excuſatione: quandoquidem ipſis indigenis, qui natiuum ſermonem a matre didicerant, et plures annos in excolendis linguis poſuerant, a ſcopo aberrare ſaepe ſaepius contigerit.

Verum vt magnitudo rei ac difficultas penitius adhuc posſit enucleari magisque illuſtrari, illam in praxi, Grammaticorum in morem, ſi placeat, expendamus; deinde vnum ſolummodo interpretis exemplum, ex quo caeterorum facilis erit diiudicatio, in medium proferamus.

Quamuis multa ſint, vt ſuperius dixi, quae hanc Turcice ſcribendi rationem efficiant mirum in modum difficilem: duo tamen omni exceptione maiora maximum hoc artificioſe componendi videntur parere ac augere incommodum: Arabicae videlicet linguae immenſitas, et natiua ſermonis Perſici ſimplicitas. Cum enim cuique ſcriptori inter componendum, vel ſermonem vtrumque ſimul, vel alterutrum adhibere, omnino liberum ac integrum ſit: ille, ſi opus habet duobus idiomatibns vna vti, niſi longo dicendi ſcribendique vſu contritus ac ſubactus fuerit, ex facili haerebit dubitabitque, num alterum alteri ſit praeferendum, aut a quo potius ſit incipiendum, quis ordo in texendo ſeruandus, ecquis tandem in vocibus delectus habendus?

Arabicae linguae vaſtitas immenſa nec non eiusdem luxurioſa vbertas, ipſum ſtatim omnibus orationis partibus ita obruunt, vt in vſu vniuscuiusque illarum, ſummo continuoque verſetur in periculo.

In *Verbis*, ne, inter tot infinitiuorum formas, tot actionum modificationes et circumſtantias, tot coniugationum et ab ipſis deri-

vato-

vatorum proprietates ac ſignificationes, veros ac genuinos ſenſus, inſcite confundat, In *Participiis*, praeſertim communis ſignificationis, ne pasſiuam in actiuam et vice verſa imperite conuertat. In *Nominibus*, propter Synonyma et diuerſa pluralium, tum *ſanorum*, tum *fractorum* genera, ne vel alterum alterius loci vſurpet, vel rationali irrationale improprie attribuat. In *Pronominibus*, ne, propria *animatis*, ſiue *humanis*, affixa, *inanimatis* et *inhumanis*, vt loquuntur Grammatici, temere addat. In *Particulis*, ne haerentiam ſiue continuationem notantes pro eadem carentibus promiſcue adiungat. In tota denique *Syntaxi* et phraſium conſtructione, pro ea, quae illi conceditur, qualibet et cuiuslibet ſermonis grammatica vtendi libertate, ne orationis dignitati, ſplendori ac elegantiae inſulſe deſit. Hi ſunt omnium maximi, qui in pelago linguae Arabicae occurrunt, ſcopuli, et in quos vulgares Turcae ſcriptores vt plurimum ſolent appellere.

In Perſica vero lingua licet tanta non ſit difficultas, ſuis tamen ipſa non caret periculis. Sunt et illi ſua incommoda minime leuia: tum propter ſimplicitatem ſuam et penuriam; tum propter ſingularem adiectiuorum et ſubſtantiuorum, vel inter ſe, vel particularum ope, compoſitionem; nec non ſimilem multarum vocum diuerſae ſignificationis determinationem, Cum enim perpauca in ſe contineat vocabula, atque illa tot tamque varias habeant ſignificationes, iisdem proprie ad orationem Turcicam vti et apte collocare, non eſt opus hominis linguarum mediocriter periti.

Id in primis maxime elucet, quando tria idiomata ad aliquam phraſin componendam pari ratione concurrunt, vt clare in hoc apparet exemplo: يمش سم الوده *Iemiſc* (*) *ſemm aludé*, *Fructus veneno contaminatus*, ſiue *venenatus*; vbi prior vox (dextrorſum poſita) Turcica, altera Arabica, Perſica tertia eſt. Quis non videt, hanc phraſin, linguis et vocabulis, ex quibus illa conſtat, inter ſe, pro

(*) Siue, vt noſtratium quis exprimeret: *Iemiſch*. Sed nimirum Autori Gallorum familiarior lingua erat, illam litterarum complexionem (ſch) ignorans; quae, dummodo non Weſtphalorum more pronuncietur, ſonum reddit illius Arabicae et Turcicae litterae. (ebr. שׁ.) Litteras quippe, vt religionem, ab Arabibus Turci habent (iisdem nexibus characterum ductibusque). Hi vero adiecerunt *quatuor* litteras a Perſis ſumtas.

triplici eorum ſitu, permutatis, nouies adhuc poſſe componi? Vt omittam *Participiorum* (quae modo actiue, modo paſſiue accipiuntur) et *Adiectiuorum* cum Arabicis et Turcicis, et vice verſa, commixtionem. Vt nihil dicam de ipſa voce paſſiua, quae nulla proprie habetur in Perſico ſermone.

Denique ne plus aequo multus ſim, hoc vnum, quo nihil brevius, aptiusue nihil ad enormem illam difficultatem recte perſpiciendam, dici excogitarique poteſt, praeterea addere animus eſt. Nimirum ſermonem vtrumque, cum Arabicum, vtut infinite amplus ſit ac vaſtus, pene totum, (ſaltem ratione deriuatorum a primigeniis,) tum Perſicum, quantus quantus eſt, ab aliquo intelligenti erudito ac ſolertis ſagacisque ingenii ſcriptore, nullo fere negotio, traduci poſſe ad orationem Turcicam ſcite, ornate, grauiter ac ſententioſe conſcribendam. Quando quidem ipſi licet, vel in componendis phraſibus, tum huius tum illius aut trium ſimul idiomatum Grammatices praeceptis vti, vel illud huic praeferre, vel plus minusue ab hoc, quam ab illo, mutuari; immo totam ſententiam Arabice, ſiue Perſice, ſola vocula *eſt* Turcice addita, exprimere, vocum ordinem, numerum et terminationem inuertere, peregrina vocabula vel ab initio, vel in medio, vel in fine collocare: ſiue ad maiorem orationis vim et decorem conciliandum, ſiue ad exquiſitius ſignificantiusue dicendum, ſiue ad eloquentiam et eruditionem oſtentandam, ſiue denique ad nimium concinni ſermonis leporem conſectandum.

Vt autem res ipſo etiam oculorum ſenſu poſſit vſurpari, vnam aut alteram periodum, quas animi et periculi faciendi cauſſa, latine Conſtantinopoli verteram ex grauiſſimo auctore, qui operam in hoc triplici genere ſcribendi nobilitauit ſuam, hic proponere a propoſito non alienum fore duxi. Quo, tum natiuum gentis Turcicae genium, ſenſus ac guſtus atque ſermonis ipſorum indoles, tum artificioſae compoſitionis ratio difficultasque, vno eodemque intuitu videri poſſit.

Politiſſimus iſte ſcriptor, qui fere eumdem apud ſuos, quem Cornelius Nepos apud Latinos, obtinet locum. Opus in octo claſſes diuiſum, quod

Heſet Behiſet, i. e. octo Paradiſi, vocauit, de vitis et elogiis virorum illuſtrium edidit elegantiſſime.

Sic porro ille in *Praefatione quartae claſſis* habet:

„In

essio lat. exstat p. 21.

دردنجی طبقه بهشتنک مجلسی ادب فضیلت

Universitäts- und Landesbibliothek Halle (Saale)

Particula libri Turcici Octo Paradisi cuius versio lat. exstat p. 21.

دردنجي طبقه بهشتنده مجلس ايدب فضيلت كلستاننده
معاني كللرين چين ايدن وعلم ومعرفت بوستاننده
ازهار فضايل رياحنن ديرن فضلا وعلما كه العلماء
ورثة الانبياء نعتي اله رفعت بولب انلرك علو
شاني وسمو مكاني ساير ناسدن رفيع ومنيع اولب
علماء امتي كانبياء بني اسرائيل وصفي اله ذات شريف
وصفات منيفلري مرين ومحلي قلنوب معارف
جوكاني اله مولويت طوپني اوج سپهر اعلا وقمه قبه
فلك مينايه ايلتمشلردر بو طايفه نك بعضنك
اوصاف حميده واخلاق پسنديده لري وطبع لطيف
وذهني شريف لرندن صادر ولايح اولان اشعار دلپذير
وابيات حسن تعبيرلري وبونلردن غيري بعضي صلحا كه

علمه مباشرت ايدب موالي عظام واهالي كرام درجه سن
جانبنه ميل ايدب اول طريقده دخي مهما امكن سعي
بليغ وجهد بي دريغ ايدب سلوكلرنده نيجه معارف
وفضايل وانواع فوايد وخصايل كسب اتمش منتهي
سالك راه هدايت ومعتكف كوشه بارگاه
ولايت اولب بونلري دخي طايفه علمادن عد
اولدقلري حيثيتنله بو طبقه فاضللري ذيلنده يازيلب
بونلرك كندو قريحه لرندن وارد اولان حسن مطلع
وابيات ومقطع دخي يازيلوب ذكر اولندي

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-312045-p0037-3



„ In

„ *In quarta huius lepidissimi operis classe locum tenebunt prae-*
„ *stantissimi ac doctissimi illi viri, qui verae ac reconditae eruditionis*
„ *rosas in amplissimo virtutis rosario seligere, ac praeclararum dotum*
„ *flores fragrantisque odoris herbas in scientiarum et cognitionum hor-*
„ *to excerpere norunt: de quibus merito dictum est: docti prophetarum*
„ *haeredes sunt. Hoc quippe encomio, eminentiam altissimumque digni-*
„ *tatis gradum obtinuerunt; cum celsitudo status et conditionis eorum*
„ *sublimitasque loci, quo prae ceteris hominibus habiti sint, eminens*
„ *omnino ac inaccessus fuerit. Docti gentis meae, ait apostolus, sunt*
„ *instar prophetarum filiorum Israel: hac igitur laude, excellentis animi*
„ *dotibus honorificentissimisque attributis insigniti ac ornati fuerunt:*
„ *illi, inquam, qui claua lusoria scientiarum et disciplinarum auctori-*
„ *tatis pilam ad summum vsque caeli fastigium et ad caeruleum orbium*
„ *caelestium fornicis verticem sustulerunt. Tum ex horum coetu quo-*
„ *rumdam naturae munera et iucundissimi mores, nec non festiui ver-*
„ *sus et optimi sensus carmina, quae ab egregia ipsorum indole illustri-*
„ *que mente edita apparuerunt. Quin etiam praeter hos nonnulli pii,*
„ *qui, data opera scientiis, ad gradum praecipuorum ac venerandae au-*
„ *ctoritatis antistitum cum peruenissent, ad latum pietatis sese contule-*
„ *runt; ac in ea viuendi ratione efficacissimam diligentiam et conti-*
„ *nuum laborem, quoad fieri potuit, impendentes, institutoque suo insisten-*
„ *tes, tot cognitiones, tos virtutes, tot fructus et adiumenta sibi com-*
„ *parassent; tandem viam verae directionis tenentes, ac in angulo Ba-*
„ *silicae diuinae assiduo immorantes sanctitatem et coniunctionem cum*
„ *Deo adepti sunt. Hi etiam quia in eruditorum coetu annumerantur*
„ *propter vniuersitatem doctrinae, vel potius quia scientiis, sapien-*
„ *tiae et pietati pari studio dediti fuerunt, ad praestantissimorum vi-*
„ *rorum huius classis laciniam, siue appendicem, annotabuntur; quin et*
„ *de ipsorum optimis carminum initiis, versibusque integris et eximiis*
„ *locis, quae ab optimo eorum ingenio prodierunt ac scripta sunt, men-*
„ *tio futura sit.* „

Tempus sane mihi deficeret, et lectorem procul dubio caperet satietas, si, quaecumque in hisce paucis versibus notari possunt, viris in arte dicendi versatis consideranda obiicerem, Solam contextus orationis huius longitudinem velim, vt animaduertant. Quis, amabo, crederet, tantum verbotum ambitum tantamque copiam duabus tantum includi periodis, et tam longam phrasium seriem duobus solum verbis inniti concludentibus? Sola, ni fallor, lingua Turcica

eiusmodi locutionis laudem sibi vindicare potest. Sola quippe valet Participiorum et Gerundiorum ope, insertis effatis ac sententiis artificiose ac singulariter, periodos vltra modum producere.

Et vt intelligatur quanta sit illa, de qua paullo ante, in miscendis linguis scriptoris libertas, notetur quod haec oratio ex 159 vocibus constet, quarum 41 sunt pure Turcicae, 11 Persicae, et 96 Arabicae: tum 4, duabus scil. Turcicae et Persicae, et 4 aliae, tribus linguis communes; non numeratis iis, quas Turcae, more Germanorum in vocibus Gallicis, ad finem vocum Arabicarum et Persicarum solent addere, terminationibus.

Sed de his satis, iam ad ipsum interpretis veniamus exemplum. Quanta sit dictionum Turcicarum penuria, humilitas ac barbaries; et quomodo doctissimi quique scriptores eam, quae sibi deest, verborum granditatem, ab Arabibus et Persis petere cogantur, ex hactenus dictis, facile est cognoscere.

Atque etiam hanc ob caussam ipse interpres SEAMAN, vt diuinum illud tantique momenti oraculum, Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, (a quo tota, quanta est, christiana fides pendet) apposite, magnifice et pro dignitate redderet, ad vtrumque sermonem, grauissimorum auctorum inductus exemplo, confugere constituit: idque merito et suo iure fecit. Sed propter frequentes, quas in Occeano Arabico inueniri diximus, syrtes, in illas miserrime incidit, et propter circumscriptam vtriusque sermonis peritiam, Persicum Arabico iniuria hoc in loco praetulit. Io. Arabica ipsum fefellere synonyma: perperam enim selegit vocabulum *Bedajaton*, cum alterum illud ab eodem themate deriuatum *Bedion*, quo Arabs interpres vsus fuerat, adhibere debuisset. Illa quippe vox *Bedajaton* proprie non significat principium in sensu philosophico et Theologico, sicuti haec altera, sed potius *inchoationem*, vt ita dicam, ac proinde locutio talis derogat de *Verbi diuini* aeternitate. Vide, quaeso, quanti referat, singula verba pernoscere ac ponderare. IIo. Persici sermonis venustas oculorum ipsius aciem ita perstrinxit, vt a tramite interpretum, Arabis atque adeo ipsius Persae textum sacrum Persice reddentis, qui ambo Arabica voce vsi sunt, abduci passus sit infeliciter. Etenim τὸν λόγον per Persicam vocem *Sachon* reddidit, quae nullo modo aptior aut praestantior est hac altera Turcica *Seuz*, quam euitare studuit, nec per illam nobilior aut magnificentior menti ingeneratur conceptus. Idem vero circa dictionem Arabicam *Kali-*

maton

maton ſtatuere non poterat, quin et multae, cur illam omnibus aliis praeferre debuiſet, exigebant rationes.

Primo: quia omnes Chriſtiani N. T. interpretes ea vſi ſunt, a quibus verba ſolemnia, quae vſus ad res diuinas et myſteria fidei exprimenda conſecrauit, potius quam ab Ethnicis et profanis accipere, omnino rationi conſentaneum erat.

Deinde quia occurrit ſaepe in textu Alcorani, vbi dicitur: *Certe Deus et verbum ſuum et ſpiritum ſuum miſit illa ad Mariam filiam Amran.* Senſu propemodum Chriſtiano, vnde ſacroſanctae Trinitatis myſterium arguere quidam conati ſunt, nec adeo inepte.

Tertio quia haec vox frequentioris eſt vſus, cum apud philoſophos, tum apud Theologos, ſiue Chriſtianos, ſiue Mahometanos, qui quidem definitionem, quae verbo diuino aliquatenus conuenit, generationi ſolent tribuere; dicunt enim *Verbum eſt filia* (vox Arab. eſt foem. gen.) *intellectus.* Ex quo patet, vocabulum *Kalimaton* per ſe purum mentis conceptum inuoluere, ac proinde omnino aptiſſimum.

Quod D. SEAMAN tres trium linguarum voces ad marginem annotauerit, id nullatenus ipſum purgat. Nam ſi, vt ipſe ait, *Sachon Kalima et Seuz* in eodem ſenſu occurrunt, (quod non facile concesſerim) an non ſatius ac tutius erat eligere illam vocem, qua vtuntur Chriſtiani, maxime, cum Perſam interpretem Arabica voce *Kalimaton* vſum eſſe, ignorare non poterat.

Haec forſitan paulo verboſius ſubtiliusue, quam par erat, videntur relata eruditis ac intelligentibus viris. Verum ea ſigillatim, et quidem ex conſulto placuit exponere, vt certo conſtaret, quanta librorum copia (eorum praeſertim, qui de illis linguis agunt) abundare oporteret eum, qui ſeſe vellet accingere ad emendandam D. SEAMAN interpretationem, quo et ipſius errores detegere, et ſibi ab iis in poſterum cauere, et quid vſu et auctoritate receptum ſit, tuto ac viſis tabulis poſſet iudicare. Nam licet, vt ſupra dictum eſt, maxima et nullis pene definita ſit limitibus, illas tres linguas inter ſe commiſcendi libertas: nequaquam tamen arbitraria eſt, nec indiſcriminatim ab vnoquoque, nec temere aut coeco animi impetu, ſed ſcienter, ſummo cum iudicio, cum delectu ac ſenſu ſumi debet. Non enim omnium eſt, nec cuiusuis ordinis auctoris, ſibi arrogare, dictiones nouas ad exemplum ſummae auctoritatis Doctorum, (quorum famae nonnulla donantur,) vel ex ſolius Grammaticae regulis eas ex eruditorum linguis ad libitum eruere, cudere et diiudicare; quod

quod quidem ipsi interpreti, saepe contigisse animaduerto. Idem prorsus de licentiori illa Turcarum Orthographia, quae cum inconstans ac varia apud eos, et iisdem, quibus ipsa litterarum appellatio vicissitudinibus sit obnoxia, illam non ad Etymologiae vel artis praeceptorum normam, vt ipse multoties fecit, sed ad praeclariorem aetatis verba efferendi modum et ad doctissimorum scriptorum vsum debere exigi, existimandum esse puto.

At si quis dixerit, quorsum tot verba, tot ratiocinationes et tot argumenta? quae si vera concedantur, non nisi in politioribus litteris, eloquentia scilicet et poesi, locum habent; quid illa omnia ad *N. T. versionem?* Cum eiusmodi interpretatio ita se habere debeat, vt verbum ex verbo accurate exprimatur, vt sacer textus in ipsis etiam Graeci et Syriaci sermonis idiotismis fideliter ac religiose reddatur, nullis ornatibus adhibitis.

Atque hoc ipsissimum est, quod in controuersiam adducitur; vtrum talis interpretatio possit haberi Turcice, et si pro certo ponatur, illam dari, vtrum genti Turcarum grata acceptaque ac vlli vsui futura sit? Profecto qui cognitum exploratumque habent, qui populi illi, quis sermo ipsorum, et quomodo a natura sint comparati, talem interpretationem posse fieri aut gratam ipsis futuram, libere negabunt: immo, si exitus aliquis expectandus, illum in hoc orationis artificio bene praestando (id humanitus dicitur, virtus enim spiritus sancti cum velit agere, non pendet a vario syllabarum situ vel compositione) potissimum consistere, non dubitabunt affirmare.

Enimuero Turcae, cum de pretio excellentium operum et praestantia iudicium ferunt, non tam rationem, quam aures solent consulere: et vix dici potest, quantum bene composita, praesertim quae modum et numerum vbique seruet, oratio, illos afficiat, et quantum delectentur stylo tumido ac inflato, maxime cum in eo sententiae similiter cadant; adeo vt saepe argutias, aequiuoca et fucata orationis lumina, quia per metaphoram et Schematismos, nec communiter dicta, magni faciant, et incantati libenter auscultent. Quae cum ita sint, omnino inde consequens est, vt vel interpretationem SEAMAN talem, qualis inuenitur, necessitate satis habeamus, (illam enim conferre emendareque, idem ipsum opus, cuius difficultatem exhibui, petere est,) vel rationem inire debeamus, quomodo interpretatio

aliqua

aliqua de integro ſic adornetur, vt et illibata ſacri textus integritas, et natiua ſermonis proprietas, ſimul ac eodem tempore ſeruari poſſint.

Atqui ad hoc, omnibus perpenſis, nulla mihi videtur aptior accommodatiorue ea, quam inſignes *N. T. interpretes Galli* nos docuerunt. Illi quippe in celeberrima ſua interpretatione *Montibus* edita textui ſacro additas, maioris explanationis cauſſa, voculas, easque minori caractere diſtinctas, notarunt, et, vbi opus erat, interſeruere, illaeſa diuinorum oraculorum integritate.

Fateor equidem, quod in Turcica interpretatione multo plura, et aliquoties forte quatuor aut quinque, ad vnam dictionem explanandam, vocabula ſint interſerenda et addenda. Quin etiam ipſe Graecarum vocum ordo mittendus ſit neceſſario ac turbandus propter peruerſam Turcarum idiomatis conſtructionem. Haec enim omnino exigit, vt ſubſtantiae modus, ſiue *adiectiuum, ſubſtantiuo* praeponatur *ſuo*, et *verbum* in fine phraſeos collocetur, et, quod in ſermone illo ſingulare eſt, *nomen genitiuum regens* poſt *nomen rectum* ponatur, ipſi *nota genitiui caſus* ſuffixa. Vt taceam *praepoſitiones*, rectius dixeris poſtpoſitiones, non enim ante, ſed poſt nomina et eos quos regunt caſus, ſcribuntur: aliae ſolutae ac ſeparatae, aliae nominibus connexae, quemadmodum apparet in illo D. SEAMAN exemplo, (*Ioh. I. 1.*) *Principio in.*

Atqui haec eſt, meo quidem iudicio, (vt hoc obiter dicam) ratio, cur apud Mahometanos nefas habeatur, Alcoranum in peregrinas linguas vertere, et cur, ipſum in ſermonem Turcicum a nemine transferri, in hunc vsque diem paſſi ſint. Habent quidem illi interpretationes Turcice inter verſus Arabici textus Alcorani interiectas, ſed raro et non, niſi ſtudioſorum cauſſa, vtpote ad litteram, nulla conſtructionis phraſeos habita ratione, conſcriptas; ſunt et illis etiam aptiſſimae ad docendum *Paraphraſes* Perſicis litteris proditae: ſed nulla vtrisque germana ac proprie dicta interpretatio eſt. Imperitum autem vulgus, quia neſcit Arabice, praecepta religionis et decreta a Mahomete ad ipſos transmiſſa eorumque ſenſus et explicationes, ab explanatoribus in vtroque ſermone tenentur accipere.

Ad nos quod attinet, si *Pagnini* et *Ariae Montani* ad exemplum Graeca N.T. in Turcicum idioma tentemus conuertere, multo minus adhuc placebit eiusmodi interpretatio, nec pari ad illam legendam necesitate ducentur. Et quamuis Euangeliorum codicem in pretio et honore habeant: illud tamen, cum a nobis traditur ipsis, corruptelae fit suspectum, praesertim si fuerit typis excusum.

Quantum vero a Typographia auersi sint Turcae, et quantum horrori illam habeant, nemo nescit. Veram huius odii caussam, de qua variant sententiae, (aliis ad Politicam, ad religionem aliis referentibus) in praesentia definire, ad nostrum non spectat institutum. Haec mihi prae ceteris maxime vero similis videtur ratio; ingens videlicet in καλλιγραφίαν studium ac summus amor. Ad ipsam natura sunt propensi, ipsi multum dant operae, et iis omnibus, quae aliquid decorandam conferre posse existimant, studeant summopere, et nulli labori nullisque sumtibus parcunt; vti sunt purissima charta, vel variis ac nitidis coloribus tincta, tum in primis illa, quae ex serico solet confici ac diligenti cura laeuigari; egregium ac multicolor atramentum, etiam illud magni pretii Cyaneum; minium et aurum, quibus tum interpunctio in bene multis scriptionibus, tum lineae codicum marginum depingi vtplurimum debent. Quae omnia in imprimendo libros typis et prelo adhiberi aut praestari nequeunt. Praeterea, quidquid lubeat tentare, et quanticunque impendantur labores sumtusque fiant, Typographia, ratione linguarum orientis gentium, ad Calligraphiae pulchritudinem accedere nullo modo poterit. Vt experientia comprobatum habemus. Mirum igitur videri non debet, si illi, quorum oculi, inueterato codicum manu scriptorum vsu, tanto scriptionis nitori tantaeque venustati et elegantiae consueti, quique typorum fortasis opera post homines natos numquam viderunt, non nisi limis excusos typis aspiciant libros.

Quam ob rem ego in hac sum sententia, vt, si qui viri pietate insignes afflatuque diuino excitati, Christianae fidei inter Turcas (politiores volo) promouendae caussa, aliquid scriptis vel interpretandis vel componendis praestare cupiant, illud totum per codices manu scriptos initio curent illis communicari, nec, nisi postquam rebus Christianorum et institutis consueuerint, libros typis excusos tradere liceat.

Sed

Sed ad rem. Nihilominus illa vocabulorum adiectio, quantacunque sit, ni concedatur ad tollendam Graeci textus obscuritatem et ad proprietatem sermonis Turcici seruandam; non video, qua ratione noua interpretatio vel confici possit dilucide ac decore, ita vt Mahometanis fiat satis, et ad illam legendam alliciantur, vel qua in re Angli interpretatione (exceptis quibusdam erroribus et mendis crassioribus) praestantior futura sit.

Veruntamen, hac vocum adiectione concessa, iterum alia maior (horresco dicere) ac grauior exsurgit difficultas, nimirum in vocabulorum, quae textui addenda erunt, delectu rite habendo. A quo enim interprete, doctore aut explanatore in re tanti momenti secure ac tuto nulloque partium studio illa desumi debent? Cuius sententia erit anteponenda? aut quem auctorem ducemue prae aliis sequi oportebit? quandoquidem vnusquisque, proh dolor! ad fouenda sustinendaque sua dogmata et opiniones, alio atque alio modo codices Archetypos verterit et ad sensum suum cupide ac perdite detorserit. An non id testantur satis luculenter tot diuersa Theologorum systemata et disputationes, tot variarum sectarum controversiae et deliramenta, tot dissimiles ac falsae interpretum versiones, tot denique pugnantia inter se omnium fere dicta ac innumera commentaria?

At hic vereor, ne alicuius offendatur animus, et auribus minus aequis accipiat, quae dico, quasi essem piissimo huic consilio alienus, et homines probos ab eo exsequendo, difficultates alias nectens easque dicendo amplificans, dehortari atque deterrere vellem. Qui forte ita sentit, ille mihi parcat. Vtinam ad id supperetrent vires, vtinam ad id apti essent multi, tantoque oneri ferendo pares! Nec certe mihi fuit alia mens in referendis omnibus iis, quae ad magnitudinem grauitatemque rei ostendendam hactenus dixi, quam vt probarem id, quod orationis initio significaui, opus scilicet illud neque vnius esse hominis, neque certi temporis circumscripti; deinde vt (si constitutum ac deliberatum esset, illud serio exsequi) ea, quae prouidenda, recte prospicerentur, ac permagnum hoc negotium consulte susciperetur, tum ad felicem eius exitum firmiter sperandum, tum ad casum interpretis Angli tuto ac secure euitandum.

Iam vero ad cetera alia, ac in primis ad memoratam ibi quoque viam, quae ad laudabile hoc consilium exsequendum aptissima mihi videtur, indicandam veniendum est.

Complexionem illam notitiarum et virtutum, quam interpretatio eiusmodi postulat, in vno eodemque homine inueniri, difficillimum esse, vel ex iam allata superius earumdem enumeratione liquido constat. Etenim, qui linguarum est peritissimus, idem ille non erit aeque disciplinarum; hic sacrarum simul et eruditarum, ille vulgarium solummodo notitia excultus habetur; alter in hac egregie, alter in illa scientia mediocriter versatus erit; alii quidem eruditione sacra plurimum, sapientia Christiana nihil admodum valent; alii vero timore Dei ac pietate ornati controuersias religionum leuiter aut parum sciunt. Et, quod omnium maximum summeque dolendum, illis fere omnibus (paucis exceptis) deest vera, solida ac vsu comparata fidei Christianae mysteriorum intelligentia. Haec quippe non inuenitur, nisi in iis, qui illam virtute spiritus sancti viuida in mente pariter ac in voluntate sentiunt, nec possidetur, nisi ab iis qui illam indesinenter actu perficere solent.

Ad consilium ergo, de quo agitur, optime praestandum certum quoddam collegium, siue aliquorum virorum societas, quae ex paucissimis illis, quorum nonnulli hic et alibi summo Dei beneficio videntur, constare debeat, omnino instituatur, necesse est. Hac in re interpretum Gallorum N. T. institutio nobis documento esse debet, qui, licet omnes in scientiis et linguis praestantissimi fuerint, et in natiuo sermone interpretationi suae operam darent, hanc tamen experientiae et rationis viam insistere voluerunt.

Cum autem dicimus, ordinem aliquem huius rei gratia constitui debere, minime intelligendum est, quod vel vniuersi, ex quibus ille constaret, relictis omnibus aliis occupationibus vnice in illud incumbere, vel in vna ciuitate aut prouincia domicilium omnes habere teneantur: hoc tantum postulatur, vt duo, aut summum tres linguarum orientalium insigniter docti inter alios eligantur, et ad ea praesertim loca, in quibus manu scriptorum codicum et praeceptorum copia ceteraque subsidia facile haberi possunt, mittantur, illisque

illisque pro regionum ratione de libris ac rebus necesſariis conuenienter proſpiciatur. Ceteri vero eiusdem ordinis viri, vbicumque libuerit, poterunt reſidere, certis dummodo quibusdam temporibus, mutuo labore mutuaque opera alii aliis ferant auxilium. Quod quidem hoc modo fieri poſſe exiſtimo. Nimirum, vt peregrini illi, qui interpretandi munus in ſe ſuſceperint, ſtudia ſua et labores ita inſtituant, vt vnoquoque trimeſtri ea, quae verterint, ad ceteros mittant illisque curent quoquo modo communicari; difficultates, dubia et alia in quae fuerint adducti, ſiue propter ſenſus ſacri textus obſcuritatem, ſiue propter ſermonis Turcici proprietatem, ſincere proponant; iu primis autem additamenta clare et accurate interpretentur, atque ſententiam omnium explicationesque poſtulent expectentque; has cum acceperint, quidquid emendandum, addendum vel demendum iudicatum fuerit, id fideliter ac ſedulo praeſtent, et in omnibus ad totius ordinis placita ſeſe componant.

Hac ratione et hac conſociatione laborum et cogitationum dum alii traditam ſibi interpretationem domi conferre, discutere, perpendere, et inter ſe, vel per litteras, ſocios conſulere eamque emendare ſtudent; alii foris diligentiae et labori minime parcentes incoeptum continenter perſequuntur, et omnes coniunctis precibus diuinum implorare auxilium non deſinunt, paullatim ac progreſſu temporis felicem rei exitum ſperare poterimus.

Verum ſi quaeratur a me, vbinam ſpeciatim id melius et commodius praeſtari poſſe exiſtimem? ego quidem (ſi fas eſſet meam dicere ſententiam) Conſtantinopolim vrbem omnium ad id aptiſſimam aſſerere audeo. Vtpote ſubſidia et illae, quae ad conſilii exſecutionem (libris impreſſis ſolum exceptis) ſimul ac eodem tempore occurrunt, opportunitates, nusquam gentium reperire eſt. Nam ſiue caeli ſalubritatem et regionis amoenitatem, ſiue eorum, quae ad valetudinem ſunt neceſſaria, abundantiam, ſiue ſermonem ipſum, qui nullibi aut purior aut elegantior viget, ſiue codicum manu ſcriptorum et praeceptorum multitudinem, ſiue denique cum quibusdam Turcarum litteratis colloquia habendi facilitatem, conſiderare libet. Ibi Mahometanorum res geſtae, religio, politica, ſcientiae conſuetudines melius cognoſci poterunt. Vt omittam alia

commoda, vti ſunt, facilis ac patens ad Legatos aditus, ac interpretum ipſorum (licet imperitorum) in multis miniſterium, et vtrorumque circa agendi rationem cum Turcis et aliis ciuibus conſilia etc. Quapropter non abs re erit, (ſi ille locus fuisſet decretus) efficere, vt viatorum gratia dentur ad aliquem legatorum commendatitiae litterae. Eſt quidem loci conſuetudo, vt vnaquaeque gens ad principis ſui vel eiusdem nationis ac idiomatis legatum confugiat, eique obſequia ex officio exhibere teneatur: attamen crederem facile, propter opinionum in rebus fidei disſenſionem liberum esſe Proteſtantibus Germanis, vel ad Batauum, vel ad Anglum legatum ſeſe recipere praeſidii cauſſa, poſthabito imperatoris Reſidente; quamquam hoc vnum et idem ſit, et (vt vere dicam) inter eos, qui in legatorum aulis Turcicae linguae dant operam aut interpretis funguntur munere, Germani illi, qui opera ſua merentur apud Reſidentem, ſunt omnium doctisſimi.

Alter a Conſtantinopoli locus Lutetia Pariſiorum eſt; ea tamen lege, vt viatoribus ad vtramque Regis et Colberti bibliothecam pateat aditus librisque vti liceat. Aliter illuc ire non iuuat. An vero alibi aeque commode illud praeſtari posſit, valde dubito. Non ſum neſcius, haberi quoque in Batauia et in Anglia librorum abundantiam: verum ibi non inuenitur eadem facilitas, nec eadem erga exteros humanitas, immo nec in eorum probitate fides. Bibliothecarum enim cuſtodes adſunt ad latus, cum quis codicem manu ſcriptum inſpicit, vel mittunt, qui has partes agat. Praeterea *(libros)* magis neceſſarios, vti ſunt Dictionaria, quae ſingulis momentis ad manum adeſſe debent, e bibliothecis transferre non licet.

Sed haec et ſimilia perſequi immenſum eſt. Et certe iam tempus eſſet, vt finem dicendi facerem; quandoquidem in iis, quae hucusque expoſuimus ac illuſtrauimus, quam ardua ſit res, quot notitiae, quot doctrinarum genera, quales ad tale conſilium requirantur viri, et quae difficultas executionis, tum quis modus in poſterum ſeruandus, et quae tandem via tutius inſiſtenda, ſatis, vt opinor, declaratum eſt: niſi meminisſem, dixisſe me quoque initio, conſilii exitum esſe incertum, atque inde aliqua posſet oriri

oriri ambiguitas. Ideo, ne huic parti, quae praecipua incoepti ratio atque finis eſt, deeſſe videar, illam paucis adhuc attingere, conſultum fore exiſtimaui

Cum tantum hoc incertum exitus rei, vel timendum ſit ratione interpretum, ne ſcilicet propoſitum aſſequantur, ſiue propter difficultatem, ſiue propter mediocrem linguarum peritiam; vel ratione eorum, quorum gratia interpretatio ſuscipitur, ne forte propter interdicta apud eos talia euulgandi opera, fructum inde vllum capere poſſent, ad alterum quidem periculum certo euitandum eique in omnibus occurrendum aliquas vias minime poenitendas pro eo, ac debui, oſtendere conatus ſum, quibus ſi probe vtantur interpretes, ſpes omnino eſt, fore vt, adſpirante Deo, votum conſequantur ſuum. Quantum vero ad alterum, quod nullis videtur conatibus nullisque viribus exſuperari poſſe; qua ſcilicet ratione interpretatio eiusmodi cum Mahometanis ſit communicanda: ad hoc quoque periculum discutiendum et aliquo pacto comprimendum, eique fortiter obſtandum, nonnulla, pro captu, notare ac monere operam dabo.

Etſi totum illud, quantumcumque eſt, ſolius Dei poteſtati prouidentiaeque permittendum ſit: attamen, ſi in talibus rebus humanae prudentiae (modo illa ſpiritus ſancti lumine colluſtrata eiusque virtute adiuta fuerit,) locus aliquis dari debeat, non dubito, quin ipſa etiam recte adhibendo, quae penes ſe ſunt, conſummatam linguarum cognitionem, veram ac ſolidam ſcientiam, tum humanitatis morumque notitiam et rerum vſum, non nihil pro modulo ſuo contra immane hoc periculi monſtrum audere valeat. Etenim, ſi diligentius expendere atque examinare velimus, cur tot viri, qui ſe Apoſtolicos (vulgo Miſſionarios) profitentur, poſt tot ac tantos labores, quos per tot annos, in tantis terrarum tractibus exantlarunt, (ſi ipſis fides habenda eſt,) tam parum hucusque rem Chriſtianam adiuuerint, tam raros homines ad Chriſtum adduxerint, et tam exiguam ab iis perceperit eccleſia vtilitatem: omnino comperiemus, id ex duabus cauſſis (aliis ſeorſim poſitis) proficiſci potiſſimum.

Io. Quia plerique ipſorum numquam fere linguarum notitiam ita perfecte ſibi comparant, vt cum politioribus, litteratis ac ſapientioribus, ſiue inter gentes, ſiue inter Mahometanos, libere agere, conſuetudinem inire et ſermones conferre valeant.

IIo. quia myſteria fidei aut nimis cruda ac barbare, aut naeniis ac fabulis condita, vel denique doctorum ſcholaſticorum veneno infecta idiotis tum Chriſtianis, tum gentibus balbutiendo explicare ſolent. Cum enim linguas erudite neſciant, ac terminos ſcientiarum plane ignorent, neque doctos intelligunt, neque ab iis vicisſim intelliguntur ipſi.

Vt omittam ingens ipſorum erga patrios mores et inſtituta ſtudium, quibus praeter humanitatis leges mordicus adhaerent, cum illos exuere et populorum, apud quos verſantur, mores induere deberent; vt nihil addam de via, quam in docendo Euangelio tenent. Non agnoſcitur certe ex ore ipſorum, eſſe idem myſterium ab aeterno abſconditum, quod Paulus annunciabat; altisſimum de vero lumine, de vera regeneratione, de vita Chriſti in ſanctis, de renovanda Dei imagine et de iis omnibus, quae hominem vere Chriſtianum et Dei filium efficiunt, ſilentium.

Ego quidem loquor de iis, quos noui, et quibuscum viuere mihi contigit, ac huius rei teſtis oculatus ſum.

Quae cum pro explorato minimeque dubio haberi debeant, mirum non eſt, ſi tantos non fecerint progreſſus. Cum hominibus ergo Mahometanis, qui et docti, et bene morati, et ad humanitatem exculti ſunt, (quidquid in contrarium obganniant inſipientes ac ignari) aliter atque aliter agendum eſt. Et quamuis, de rebus fidei diſceptare, apud eos etiam capitis periculo ſit cautum: nihilo minus tamen, ſi priuatim, ſi nullis conuiciis dictisue in Mahometum ipſiusque Alcoranum ingeſtis, ſi minus cupide, ſi ſermocinandi tantum, non contendendi ergo, denique ſi humaniter, docte, ſolide ac tempeſtiue, habitaque vbique loci, temporis et perſonarum ratione, atque conciliata prius fide, amicitia ac probitatis opinione id fieret: non ſolum illud toties decantatum euitaretur periculum, ſed etiam inde fructus non mediocris eſſet facile ſperandus; in primis autem

autem, ſi a familiaribus colloquiis ſcholaſticae omnes abſint ſubtilitates. Enim vero vel cum imperitis vulgo, vel cum eruditis viris res eſt. Illi quidem eas non caperent, hi vero melius forte et ſubtilius, ſaltem iuxta veteris philoſophiae ſyſtema, intelligerent. His cautionibus recte adhibitis, ſi nihil aliud cum iis de rebus fidei mutuis disputationibus certando effecerimus, quam vt in ſuspicionem veritatis religionis ſuae adducerentur, et de myſteriis noſtris melius in poſterum ſentirent, id certe non eſſet paruo in lucro ponendum.

Nihil porro efficacius, accommodatiusue nihil ad ſtillanda animis Mahometanorum Chriſtianae fidei myſteria, quam argutas iuſtasque, ſiue inter colloquendum, ſiue inter docendum, ſiue etiam inter concionandum, acute ac crebro vſurpare ſimilitudines; atque illas praeſertim, quae a philoſophia naturali (vtpote iis ſaepiſſime vſus eſt in Alcorano Mahometus) ad rem et appoſite duci ſolent. Et vero plus profecerit Miſſionarius, ſi, verbi gratia, myſterium trinitatis et verbi incarnationis Turcis exponere volens, miſſis ſpinoſis ſcholarum locutionibus, vti ſunt hypoſtaſes, eſſentia, exiſtentia, diuiſio, commixtio, idiomatum communicatio, praedicatio etc. ad eas duntaxat, quas grauiſſimi auctores etiam noſtri proferre conſueuerunt, ſolis videlicet, animae rationalis, trium chymicorum principiorum et alias eiusdem generis ſimilitudines, ſeſe conferret, easque ſcite, diſerte ad ſenſum ipſorum guſtumque explanare ſeſe accommodaret. Aliter per disceptationes ſuas nihil aliud, quam efferos magis atque alienos a talibus rebus redderet, ac horrore impleret. Numquam enim, quidquid egerit, argumentorum vi et rationis perſuadebit illis, exiſtentiam (*eſſentiam*) vnam, ſubſiſtentiis tribus, vel duas exiſtentias (*eſſentias*) vna ſubſiſtentia terminari poſſe; quod quidem Dialecticorum idioma ipſis Chriſti apoſtolis minime innotuiſſe, credibile eſt.

Hanc eandem ob cauſſam HIERONYMI XAVIER *Ieſuitae*, qui Moglenſium cauſſa *Chriſti hiſtoriam* Perſice ſcripſit, conſilium, mihi maxime probatur; et quamuis idem cum LVDOVICO DE DIEU, acerrimo eius cenſore, lubens ſentiam, nempe peccaſſe eum in rebus dubiae fidei referendis: non poſſum tamen non ſimul fateri, ipſum, quod ad genium Orientis populorum attinet, rem acu tetigiſſe. Cum enim compertum haberet vir ſagaciſſimus, quanti praeconis

conis euangelii referret, hac orationis ornatae ad capiendos homines eſca inſtructum eſſe, praeuideretque, in N. T. interpretando, incorruptam ſermonis munditiem ac elegantiam nullatenus poſſe ſeruari: auguſtiſſima Chriſti tum geſta, tum diuina effata coeleſtemque doctrinam narratione exponere, multo praeſtabilius iudicauit. Hinc ego facile in eius adducor ſententiam, atque, vt in lingua Turcica idem (ſi Deus annuerit) praeſtetur, ſuaſor hortatorque ſim, iis tamen omnibus, quae circa interpretationem annotauimus, ſtudioſe obſeruatis. Quo omnia ſcribendi genera, etiam illud comparativum, quod diximus, omnia orationis lumina ornatusque multifariam ad Mahometanorum guſtum adhiberi poſſent. Nec neceſſe hic videtur pluribus dicere, quae ſit Hiſtorici in ſcribendo libertas, neque quantum hoc in genere Turcicus ſermo ceteros praeſtet ſuperetque, vtpote qui gentis vtriusque idiomatum, Arabum immenſis theſauris, et Perſarum gazis ita locupletatus luxuriet, vt nullum argumenti genus tam grande ac ſublime, quod orationis altitudine et mirifico compoſitionis artificio non attingat; tam abſtruſum, quod acumine ſententiarum, ſplendore ac ſignificantia verborum, et variae locutionis nitore non discutiat, explicet ac magna in luce ponat; tam amplum ac ingens, quod Arabiſmi vaſtitate et Perſiciſmi copia non definiat ac circumcludat, et omnigenas, ad quaslibet hiſtoriae partes commode, ordine, decore, grauiter ac pro dignitate ſuſtinendas, grandiloquo ſcriptori non ſuppeditet elocutiones copioſisſime. Verum quidem eſt, fateor, non minorem in recte ſcribendo hiſtoriam Chriſti, quam in interpretando N. T. fore difficultatem: verum haec labore, diligentia et mentis contentione poteſt ſuperari, eoque magis, quod plurima in hoc genere exſtent opera, quae euoluere, perpendere ac imitari, et viua voce cum praeceptoribus conſulere circa difficultates, erit promtisſimum.

Multa adhuc alia ſuper hoc argumento afferri poſſent, quae ſciens prudensque praetereo, ne Lectoris patientia abuti videar; vnum tamen, quod aduerſus hanc ſententiam obiici poteſt, ſilere nequeo.

Dicunt: an nobis licet, Mahometanorum aut gentium cauſa, hiſtoriam Chriſti fuco ac calamiſtris inurere, et N. T. ſtylo ornato reddere?

dere? an non potius notanda esſet eiusmodi indulgentia? an debet nos pudere ſimplicitatis euangelii, quod eſt potentia Dei, nec vllis ſapientiae humanae indiget praeſidiis?

Ac mihi etiam petere concedatur: Quid? ad eos erudiendos, qui et Chriſtiani nati, quorum plerisque ſaltem extrà reuelatum et cognitum eſt euangelium, qui cum lacte materno fidei myſteria ſuxerunt, qui in iis ab ineunte aetate inſtituuntur ſtudioſe, qui vel ex auditu ea diſcere posſunt, licebit conſtituere viros doctrina et eruditione praeſtantisſimos, et idem erga Mahometanos et gentes non licebit?

Quare concionatori, dogmata vel praecepta fidei, quaqua libuerit ratione, praedicare, modo hoc, modo illud ſeligere, commentari, interpretari, amplificare et exornare, vniuerſo plane eloquentiae apparatu adhibito, adductis etiam Ethnicorum philoſophorum et auctorum ſententiis, omnino integrum erit, et Hiſtorico ſacro non item? Quare, inquam, apud fideles ita neceſsaria inducatur litteratura et eruditio ad Myſtam et verbi Dei concionatorem conſtituendum et idoneum ad eccleſiaſticum munus habendum, vt multi et, quidem paullo audacius, ne dicam, peruerſisſime, illam ipſi etiam pietati et vitae integritati anteferre non dubitent; et haec eadem apud infideles nullius vſus et nullo modo requiſita cenſebitur?

Sed nullus foret orationis neque etiam lacrymarum modus, ſi omnia, quae in tam lugubri argumento dici posſent, adducere vellem; nec opus eſt, inueterata eccleſiae vulnera, quae omnes viri boni ſentiunt lugentque, importune refricare.

Vos melius, *Viri Praeſtantisſimi*, quam quisquam alius illa videtis et doletis, iisque medelam omni ſtudio, omni diligentia et labore afferre ſtudetis. Fortunet Deus omnipotens conſilia et labores veſtros, vosque longum incolumes ſeruet, atque pares tantis virtutibus ſucceſsores ad regnum Chriſti vbique promouendum, ad eccleſiae ſuae vtilitatem et ad fidelium ſolatium et exemplum ſemper vobis ſufficere velit.

FINIS.

CORRIGENDA.

p. 4. lin. penult. leg. consignata. *p. 9. lin. 9.* leg. auctoritate. p. 20. l. *antepenult.* sec. Autogr. leg. *Hesti Behisti*, vbi vero conf. quae *in not.* p. 19. admonentur.

Ne 1680.
8°

ULB Halle
001 508 342
3

Slo.

Nur für den

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-312045-p0056-8

MEMORIA NEGRIANA

HOC EST

SALOMONIS NEGRI

DAMASCENI

VITA

OLIM AB IPSOMET CONSCRIPTA

NVNC AVTEM

ACCESSIONIBVS QVIBVSDAM

ILLVSTRATA.

NEC NON

EIVSDEM

TRACTATIO CRITICA

QVA SVVM APERIT

ET

DE GVILIELMI SEAMAN, ANGLI,

VERSIONE N. TEST. TVRCICA

IVDICIVM

ET

DE ADORNANDA NOVA VERSIONE

EORVMDEM DIVINORVM LIBRORVM TVRCICA

CONSILIVM.

EX AVTOGRAPHO AVCTORIS

EDIDIT

GOTTLIEB ANASTASIVS FREYLINGHAVSEN

S. THEOL. P. P.

HALAE SALICAE

IMPENSIS ORPHANOTROPHEI

CIↃIↃCCLXIIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-312045-p0057-4